QVÆSTIONES DVAE:

Vna de Filio Dei:
Altera de periurio Ethnicorum.

Ad ſtudioſos Academiæ Ienenſis, Epiſtola.

Carmen ἀπαρχαριστικὸν, recitatum in Academia Lipſica.

Carmen Græcum Gregorij Nazianzeni, ſcriptum poſt diſceſſum ab vrbe Conſtantinopolitana.

A

Nicolao Selneccero Noribergenſi.

LIPSIÆ

IOHAN. RHAMBA EXCVDEBAT

Anno

M. D. LXVIII.

NICOLAVS SELNECCERVS VIRO REVERENDO D. M. LAVRENTIO DVRNHOFERO, *Abbati & Eccleſiaſtæ ad Ægidium Noribergæ, populari, amico, fratri.*

S. D.

FEcerunt turbæ, quo minus tuis litteris & honorificæ ad nuptias tuas nomine & re, quales ex animo tibi tuiſq; precor, ſecundas, inuitationi hactenus reſponderim, Laurenti Reuerende. Nunc ut cataſtrophen aliquam mearum rerum cognoſcas, mitto ad te pagellas haſce, ex quibus intelliges, me illud Sigaion Dauidicum cantando & precando repetere. Vixi Ienæ ferè ad quadriennium, vt noſti, & habui collegas viros optimos & doctiſs. quibus cum vitam, ſi licuiſſet, transacturus fuiſſem. Expacianti etiam propoſitum mihi fuit, ſi ad litteras, quas impulſus ratione non tantum officij, ſed etiam mandati à magiſtratu ad me miſsi, de

conditionib. mei muneris deinceps ſub eundi ſcripſeram, talibus, quas nemo bonorum, ſi eas cognorit, improbare poterit vnquam, clemẽs reſponſum acciperem, certo & ſine omni diſceptatione & tergiuerſatione rediturum eſſe, id quod & magiſtratui ſuppliciter indicaui, & ſancte pollicitus ſum. Conditiones autem meæ fuerunt eiuſmodi, ſi ſine reformatione illorũ, qui hactenus res turbarunt omnes, & ſub hypocritico & tacite furioſo prætextu zeli euertunt etiamnum optime ædificata & munita, artes, linguas & diſciplinam, cum in Eccleſijs, tum in ſcholis, mihi ductũ in docendo, quem à præceptorib. meis accepiſſem, & hactenus in docendo & operas officij mei præſtando ſecutus eſſem, deinceps etiam liceret ſequi, me meam operam, ut huc uſq; ita & in poſterum locaturum & impenſurum eſſe Eccleſiæ & Academiæ Ienenſi: ſin minus mihi hoc concederetur, conſulendum ſane mihi et meis, ut ante ſemeſtre ſignificaſſem, & nunc idem repeterem, fore alibi. Ad hanc meam ſupplicem petitionem cum reſponſum acciperem

plane

plane nullum, & nõnullis Consiliarijs, veræ doctrinæ & salutaris concordiæ patronis, nihil de toto, quod agebatur, negotio constaret, quod separationis argumentum erat, & vis etiam reb. meis inferretur, meaq; familia, uxor, & liberi parui, essent in periculo, nec vulgari, nec contemnendo, quod ignotum isthîc est nemini, & quod etiam in actũ deducendum iam fuisset, nisi diuinitus monentibus & medicina quasi præsenti lenientibus febricitantes & calidos animos quibusdam, et subijcientibus, inauditum illud esse, & pariturum alia ex alijs, repressus fuisset conatus, constricto tamen, ut aliqua saltem parte bili satisfieret, et notato hortulo, post labores scholasticos oculorum meorum, & unius atq; alterius collegarum aliquando, cum adhuc isthîc essemus, delicijs: cum inquam responso indignus iudicarer, & periculum esset positum ob oculos, & negarentur insuper ea, quę debentur, quid aliud miser & desertus facerem, nisi ut effugerem peccatum, quod tentationis Dei nomine proscribitur, & media diuinitus & concessa, &

exemplis Patriarcharum, Filij Dei, Apostolorum & aliorum comprobata & confirmata, arriperem? Hoc ergo cum fecerim, oro te, mi opt. Laurenti, frater carissime ut tuis precibus annumeres, ut in gloriam Dei cedat deinceps quoque meus labor, iuxta illud: Non labor in Domino uester inanis erit. Legeres miranda & stupenda, si quæ acta sunt, ordine cognosceres, & pro tua pietate doleres vicem Ecclesiæ senescentis, & tot furijs impetitæ. Adsit nobis Filius Dei gestans nos ouiculas suas in humeris suis, & non relinquens nos orphanos, & reprimens multos furiosos conatus hostium manifestorum, & hypocritarum istis ferè deteriorum, &, si liceret, crudeliorum, καὶ ἐχόντων μεθ' ἑαυτῶν σαρκὸς δεξιὰν, καὶ ὑποκρινόμενοι τὴν ἡγεμόνος δεξιὰν, vt de Semiarianis Epiphanius scribit. Bene & feliciter vale, & patriam nostram tua diligentia, opera et fide, ornare perge. Lipsiæ mense Augusto, Dominica lacrymarum Christi effusarum ob securitatem Ieroso-
lymorum.

M. D. LXVIII.

QVÆSTIO DE FILIO DEI, IN PROMOTIONE MAGISTRORVM, A VIRO REVERENDO M. LVCA MAIO, propoſita Nicolao Selneccero, in Decanatu viri doctiſs. M. Arnuri, Ienæ die 2. Ianuarij, Anno 1568.

EXcuſarem me prolixè, idq; facerem meritò, quòd conſcius mihi tenuitatis ingenij & doctrinæ, in hac corona doctiſſimorum virorum, & iuuenum ornatiſſimorum aliquid dicere inſtituam, niſi mihi conſtaret de benuolentia omnium, quotquot hic ſunt, vltrò veniam mihi, meoq; conatui concedentium, cum ſciam, me non ingenij fiducia ſumere mihi has dicendi partes, ſed officio adduci, vt authoritati præceptorum, honeſtiſſimæ conſuetudini, quam ſapiens antiquitas grauiſſimis de cauſſis inſtituit, morem geram. Seniorum quidem loqui eſt, & diſſerere de rebus grauibus, quæ captum aliorum excedunt præſertim ἐν οἷς ὁ νοῦς θείᾳ ξυνέσιν ἡμέρα τετραμμένος, vt Sophocles dixit, id eſt, quorum ſenum mens, cœleſti luce nutrita eſt, & quo-

rum ſapientia ἐκ πολλῆς ἐμπειρίας τῷ μακρῷ χρόνῳ, vt Nazianzeni verbis vtar, confirmata eſt. Eſt autem eorundem ſenum & præceptorum, etiam præcipere, & nobis iniungere hæc & illa præſtanda, noſtrum vero eſt vel audire illos grauiter docentes, & proponentes τὶ χρήσιμον, vt Anaximanis vox de ſenibus teſtatur: Vel modeſtè, ſubmiſſe & libenter facere ea, quæ nos iubent. Hoc ego cùm faciam, nõ eſt vt immorer excuſationi, aut petitioni veniæ. Requiri potius intelligo, vt vſitato more aliquid, auribus pijs & eruditis dignum, proferam, de quo cum mecum deliberauerim diu, quidnam hoc tempore triſti & turbulento, & in tam ancipiti & lubrico noſtrarum rerum ſtatu (μήσε λάθοι, ὦ Χριστὲ, τῶνδ' ὅς αἴτιος κακῶν) eligi & inſtitui poſſet, ſentiens in me quaſi torporem quendam & languorem animi hinc inde diſtracti, tandem meipſum excitare cœpi, cogitans de argumento orationis, quam recitari iam audiuimus. Quantacunq; enim ſint pericula, ruat cœlum, ruat terra, ſæuiant tyranni, omnia moueant hypocritæ, οἱ βουλεύοντες, πράττοντες, καὶ ταῖς γλώσσαις πολεμίζοντες, vt in veteri verſu dicitur, inuideant, conuicientur & detrahant nobis noſtrorum laboribus, illi, quibus volupe eſt, eiusmodi obſoniis, ſe ipſos molliter & delicate paſcere, aut vt

duriu

durius & verius loquar, furioſe & petulanter ſaginare, & omnia ab omni parte ruinam minari videantur, quid tum? propterea ne animum deſpondebimus? deſeremur, orphaniq; erimus omni ope deſtituti? nequaquam. Viuit adhuc Chriſtus homo puer nobis natus, & Deus Filius nobis datus, qui gloriam Dei patris nobis manifeſtam & illuſtrem reddidit, & pacem ſua incarnatione & obœdientia in terris reſtituit, et dato Spiritu ſancto, εὐθοκίαν & lætitiam in cordibus noſtris ita accendit & confirmat, vt læti dicere poſſimus:

Si mundus hic dæmonibus
Scateret ſicut vermibus
Nil timeremus anxiè,
Vincemus tandem ſtrenuè,
Princeps mundi ſuperbiat,
Ringatur, ac inſaniat,
Nocere neſcit nebulo
Cum fractus ſit vel verbulo.

Quare iam animo recepto & confirmato, in ardenti & vera inuocatione Filij Dei, qui infans factus ex infantium & lactentium ore, regnum, robur, & laudem ſibi perficit, quæſtionem cum oratione, quam audiuimus, & recordatione incarnationis Filij Dei conuenientem, proponam, quam vt à me non grauatim audiatis, præſertim cum grauiſſima, & doctrinæ & conſolationis ple-

na sit consideratio huius quæstionis, reuerenter & amanter à vobis peto. Est autem hæc quæstio: Cum tot omnibus ætatibus inde vsq; à natiuitate Christi fuerint, & hodie in Lithuania, Transyluania, Polonia, & multis alijs Regnis passim oberrent homines fanatici, & in Filium Dei supra modum blasphemi, quorum aliqui negant æternam diuinitatem Christi, quales olim fuerunt, Alogiani, τὸν λόγον & Iohannis Euangelium reijcientes, vt Augustinus de hæresibus capite trigesimo indicat, quos secutus est Paulus Samosatenus circiter annum Christi, centesimum, octuagesimum, & eius successor Photinus. Postea Arrius Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter, circiter annum Domini trecentesimum & vigesimum: Aëtius, Eunomius, Acatius, Sabellius, Macedonius, Apollinaris, Mentagonistæ, & alij plures, quorum nomina sunt ipso penè stupenda sono: & nostra ætate Seruetus Lusitanus, & Petrus Conyca Lithuanus: Aliqui verò negant humanam naturam in Christo, eiq́, vel mentem & rationem adimunt, cuius loco ponunt ipsam diuinitatem: Vel corpus phantasticum affingunt, vt olim delirarunt Manes, Valentinus, Apollinaris etiam, & Origenes, ne iam dicam de illis, qui vel diuulserunt naturas in Christo à se inuicem, ita, vt duas personas constituerent, vt Nestorius: vel

confu-

confuderunt eas, & tantum vnam naturam asseruerunt, vt Eutyches, & alij similes hac etiam nostra ætate, qui confusionem naturarum multis modis introducunt: Cum, inquam tot arietibus impugnata sit vera doctrina de Filio Dei τῷ θεανθρώπῳ & Emanuele, quid pijs & rectè sentientibus agendum? quò confugiendum, quomodo loquendum, qua regia tutaq; via incedendum sit, vt & gloriam Filij Dei tueamur, & veritatẽ sentiendo & loquendo retineamus? Agnosco sanè, arduam à me proponi quæstionem, positam supra & extra captum humanæ rationis & sapientiæ, sed talem tamen, cuius cognitio & consideratio non tantum in hac anniuersaria recordatione incarnationis Filij Dei, maximè necessaria & salutaris est: sed etiam, qua neglecta & depranata, concidere videmus totum ædificium religionis Christianæ, veræ doctrinæ & consolationis. Mihi vero cogitanti pro tenuitate ingenij, quod informari & instrui à S. S. humiliter & ardenter peto, de tantis rebus, in mentem venit illud Chrysostomi Homilia secunda in Epistolam ad Hebræos: Multa de Deo intelligimus, quæ eloqui penitus non valemus: multa rursum eloquimur, quæ tamen intelligere non sumus idonei. Scimus Filium Dei verè esse genitum à Patre, &, vt Michæas inquit, egressionem eius esse ante origi-

originem, & ante dies ſæculi, ſiue vt Paulus re-
didit, ante tempora ſecularia, & eſſe eum συναί-
διον καὶ ὁμοούσιον Patri & Spiritui ſancto, ve-
rum & æternum Iehoua. Quomodo autem ge-
nitus ſit, etſi iuxta normam verbi Dei aliquid e-
loqui debeamus, tamen in hac imbecillitate toti-
us naturæ noſtræ aſſequi illud & intelligere non
poſſumus. Mens deficit, vox ſilet, non hominum
tantum, ſed & Angelorum. Licet ſcire, quod ge-
nitus ſit, non licet ſcire quomodo genitus ſit, vt
cum Auguſtino, Chryſoſtomo & Baſilio loquar.
Et Salomon in prouerbijs capite triceſimo inquit:
Quis nouit nomen Filij Dei? quo in loco æter-
n. n generationem Filij Dei intelligendam, &
vt Baſilius inquit, ſilentio honorandam eſſe, non
dubium eſt, quemadmodum veteres & illud Eſa-
iæ accepiſſe conſtat: Generationem eius quis e-
narrabit? Vt autem rectè & piè ſentiamus &
loquamur, & abſurditates ac blaſphemias mul-
torum euitare poſſimus, indico, conſulendam &
legendam eſſe ipſius creatoris epiſtolam, quam
ſcripſit ad ſuam creaturam, id eſt, videndum eſſe
quomodo ſacræ literæ de hoc tanto myſterio, &
de altera etiam generatione, qua Filius Dei fra-
ter noſter factus eſt, loquantur. Sic enim fiet, vt
dum ab ore DEI pendemus, non tantum certam
ſententiam, & firmam indubitatamq; fidem con-
cipia-

cipiamus, sed, duce Spiritu sancto, in nobismetipsis sentiamus mirandam laticiam, consolationem & pacem cum Deo, qui Filium suum ab aterno verum Deum, voluit etiam fieri tuum & meum fratrem. O immensam, ô inenarrabilem sapientiam & misericordiam Dei. O admirabile commercium: creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est. O culpa nimium beata, qua redemta est natura. Deus qui creauit omnia, nascitur ex fœmina, Mirabilis natura mirificè induta, assumens quod non erat, manens quod erat: Per quem fit machina mundi: per quem dies & horæ labant, & se reciprocant: quem Angeli in arce poli, voce consona semper adorant, hic corpus assumsit fragile, & venit, vt pastor pius quæsitum, quod perierat, vt carne carnem liberans non perderet, quos condidit. Quis tam stupidus, tam piger & vecors? quis tam ingratus & securus esse posset, qui non toto animo, audiens saltem de his verba fieri, gauderet, exultaret, & gratis vlnis suis amplecteretur immensam Dei bonitatem, & summis gratulationibus oscularetur filium? Psallat altitudo cœli, psallant omnes Angeli, quicquid est virtutis vsquam, psallat in laudem Dei: nulla linguarum sileſcat, vox sed omnis consonet, seculorum seculis. O socordiam, ô torporem

nostra-

nostrarum mentium & cordium nostrorum. Sed ne quæstio mea, quam vestra in me audiendo benignitas longius prouehit, quàm proposita ratio postulat, orationis formam assumere videatur, finem dicendi faciam, & rogo Clarissimum & doctissimum virum D. Magistrum Nicolaum Selneccerum, Præceptorem nostrum venerandum, vt propter iuniores de hac quæstione copiosius disserat. Dixi.

RESPONSIO
D. MAGISTRI NICOLAI SELNECCERI.

CVM Abraham intercederet pro Sodomitis apud Deum, & iam aliquoties accepisset responsum de mitigatione pœnarum, si modo pauci aliqui inuenirentur, qui Deum timerent, & rectè colerent, inter cætera etiam hæc verba edidit. Cœpi loqui ad Dominum meum, qui tamen sum puluis & cinis. Hæc verba Abrahæ à veteribus vsurpata fuisse, cum de æterna generatione Filij Dei disserendum fuit, Epiphanius testatur. Voluerunt nimirum illi cohibere nostrã arrogantiam, qui cum limus & fimus simus, et in tempore viuamus, nondum intelligere possumus ea, quæ ab æter-

æterno fiunt, et quæ sunt abscondita mysteria Dei. Ego certè, cui ad tuam quæstionem, Reuerende & Cariss. frater, & amice colende, respondendũ est, agnosco & fateor meam imbecillitatem & tenuitatem, & iudico totam hanc quæstionem, magis è penetralibus animorum, vera fide in Filium Dei instructorum, responsionem suam petere debere, quam ex nuda quadam oratiuncula, aut verborum congerie. Pij enim siue credentes, vniuersum hoc mysterium & de æterna generatione Filij Dei, & de assumtione naturæ humanæ, atque vnione duarum naturarum in vna persona, humilitate animi summa audiunt, summa gratulatione accipiunt, et summa reuerentia admirantur, & inde contra omnis generis tentationes & insultus se sustentant, erigunt & solantur. In loquendo autem & disserendo de tantis rebus, sunt modesti & sobrij, & vt idem, quem paulo antè allegaui, inquit, loquuntur ex fide, memores illius quod scriptum est: ἐκ μέρους γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν, ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται. Et certum est, mentes hominum, quo sunt meliores & puriores, & quò pleniores & magis illustratæ luce doctrinæ & Spiritus sancti, eò magis λογίζεσθαι πρὸς ἑαυτὸς, ὅτι ἄνθρωπος ὁ γῆ καὶ πόδος debeat habere γλῶτταν παιδείας,

ne

ne forte ex contentione de incomprahensibilibus, & ex inquisitione eorum, quæ assequi non possumus, in profundum impietatis incidamus, & amittamus fidem, res & verba, iuxta illud: Scrutator maiestatis opprimitur à gloria, sicut videmus hodie vsu venire illis, qui de prædestinatione extra verbum suas proferunt speculationes. Vt autem aliquid ad quæstionem respondeam, omissis iam blasphemis istis erroribus, in quibus illi, quorum nomina recitasti, volutarunt sese, acquiesco plane in tua sententia, qui iuxta normam verbi Dei, de hoc mysterio sentiendum esse, piè & rectè iudicas. Testatur verò vox Dei, Filium Dei esse & verum ac æternum Deum, & esse genitum à patre, θεὸν ἐκ θεοῦ, ἐνὰ ἐξ ἑνὸς, μονογενῆ ἐξ ἀγεννήτου. Et sunt in sacris litteris vocabula illustria quinq;, quibus & diuinitas & æterna generatio Filij Dei nobis, vt eam credamus, non vt inquiramus, quod à nobis fieri minimè potest, descripta proponitur, quibus etiam à Deo Patre & Spiritu sancto Filius distinguitur. Ea iuniorum caussa adijciam. Primum vocabulum est, Filius Dei, iuxta illud: Filius meus es tu, ego hodie (siue ab æterno) genui te. Et Psal. 72. Ante Solem Innon, id est, filiatum est nomen eius, vt vetus habet translatio, de qua iam disputandi locus non est. Nin autem Filium

signifi-

significat. Item, Hic est Filius meus dilectus, in quo totus lætor & acquiesco. Vt enim (liceat sanè nobis balbutire) in natura hominum Filius dicitur de Patris sui substantia genitus, & ratione substantiæ Patri similis & æqualis: sic etiam in diuinitate Filius dicitur genitus, vt palam fiat, omnino & de Patris substantia esse Filium, & Patri per omnia ὁμοούσιον. Secundum vocabulum est, vnigenitus, siue etiam primogenitus, qui videlicet solus & ante omnia & præ omnibus à Patre genitus, & patri coæternus est, & æternam summamq; dignitatem, præeminentiam, gloriam & potentiam obtinet, quæ aliis filijs Dei, qui per & propter naturalem hunc filium, tantummodo sunt filij adoptati, nõ communicatur, sicut Paulus hac de caussa vocat Christum primogenitum inter multos fratres, & primogenitum vniuersæ creaturæ, per quem creata sunt omnia quæ in cœlis & in terra sunt. Tertia dictio est λόγος, quam Iohannes inter reliquos Euangelistas velut aquila sublimis & altiuolans retinuit, & quæ sanctis Patriarchis & Prophetis in veteri Testamento non ignota fuit: Verbo Domini cœli facti sunt, inquit Dauid. Israël saluatus est Ba Iehoua, in domino, inquit Esaias cap. 45. saluatione æterna. Hoc Chaldæus paraphrastes, siue Thargum Ionathæ ita explicat: Israël saluatus est per

eth omer, siue per λόγον. Et cap. 41. vbi legimus: Ego auxiliatus sum tibi, ait Deus, & redemtor tuus sanctus Israël, ibi Ionathas (qui, vt etiam hoc indicem, vixit ante natum Christum, circiter, secundo & quadragesimo anno, & fuit condiscipulus Simeonis Iusti, Christum infantulum in vlnas suas suscipientis, & scripsit Thargum, id est, translationem siue paraphrasin Bibliorum Hebræorum, quam Iudæi non tam interpretationis, quam textus loco habent) Ionathas igitur hic ita illum Esaiæ locũ reddidit: Verbum meum in auxilio vestro dixit Deus. Et possunt colligi plures eiusmodi expositiones, quia certos locos, in quibus de Filio Dei oratio instituitur, voce τῦ λόγυ interpretantur. Nec verò dubium est, ethnicos seniores hanc ipsam appellationem a patribus accepisse. Quid enim sibi vult illud Platonis in Epinomide: κόσμον ἔταξε λόγῳ τῶν πάντων θειότατῳ? Et alibi φιλοσοφῶ μὲν τὸν τῶν πάντων ἡγεμόνα θέον, τῶντε ὄντων, καὶ τῶν μελλόντων, ἅτε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον: Et de λόγῳ noti sunt versus Orphei & Sibyllarum, quos Iustinus martyr, Clemens Alexandrinus, aliquot etiam Lactantius & alij recitant, & quos commemorare hoc loco nimium longum esset. De Thule autem Rege Ægypti superbo illo, & rerum successu inflato, cum is per-

contem-

contatus esset oraculum, num potentior aliquis in orbe terrarum, quam ipse esset, viueret, nota est narratio, accepisse eum scilicet responsum in hunc modum: πρῶτα θεὸς μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σεὺ ἀυτοῖς, σύμφυτα δὲ τρία πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα, &c. & egressum ex Templo à suis satellitibus interfectum esse. Sed ne his immoremur, quàm iucundum illud est in libro Sapientiæ Cap. 16. ὁ λόγος σὸς αἴδιός ὁ πάντα ἰώμενος, καὶ ὁ παντὸς σωτὴρ. Et Psalmo 107. ἀπέστειλε τὸν λόγον ἀυτοῦ, καὶ ἰάσατο αὐτούς. Cur autem λόγος Filius Dei nominetur, alibi, cum locus & tempus datur, exponi solet, videlicet duplici respectu, patris ab æterno & nostri certo tempore. Vt enim mens naturaliter refugit otiũ, & libenter in suo versatur officio, semper aliquid cogitãs & concipiens quod foras emissum nominatur verbum, ita Pater gignit Filium, tanquam mens æterna, verbum æternum, quod à Patre ita emanat, vt neq; Pater sine Filio, neq; Filius sine Patre existat, quemadmodum neque mens sine verbo, neq; verbum sine mente esse intelligitur. Hic λόγος postea fit ἐξαγγελτικὸς καὶ ἑρμηνεὺς μεγάλων βουλημάτων τοῦ θεοῦ, Orator, fecialis, consiliarius & Euangelista, vt est in Esaia. Sed cum de his prolixius disserere iam non liceat; quartam appellationem addam,

quæ est εἰκὼν, essentialis imago Dei patris, & χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ θεοῦ, eadem videlicet ratione qua λόγος nominatur. Quienim videt Filium, videt & Patrem. Vltima appellatio est ἀπαύγασμα splendor gloriæ patris. Vt enim à Sole siue corpore lucido deriuatur splendor: ita à patre qui inhabitat lucem inaccessibilem, emanat Filius identidem vera lux illuminans omnem hominem, Chasmal, oriens ex alto, Sol iusticiæ, lumen de lumine. Sed desino iam recitare de his appellationibus plura. Nunc quod voluisti de altera etiam Filij Dei generatione iuxta normam veritatis & historiæ Euangelicæ dicendum esset, nisi viderem copia & vbertate materiæ me planè obrui & impediri, vt vbi incipere, vbi & quando commode iys, quæ dicenda sunt, commemorandis, desinere debeam, in præsentia nunc non videam. Duo tantum hæc eeu capita assignabo. Prius hoc est. Filius Dei homo factus est, & Emanuel noster est, ὁ θεάνθρωπος, scala Iacobæa, Deus & homo, vt in versiculis dicitur:

εἰμι ὃς ἦν, οὐκ ἦν ὃ δὲ οὐκ εἰμι, νῦν κατὰ ἀμφὼ
ἀμφότερον πέλομαι, ἀμφότερον λέγομαι.

Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor vtrunq;. Hac vnione quid quaso mirabilius?

lius? quid maius & grandius? quid magis diuinum? Recte Bernhardus dixit: Omnipotens illa maiestas in assumtione nostræ carnis, fecit tria omnium mirabilium mirabilissima. Coniuncta sunt ad inuicem Deus & Homo: hæc vnio & mixtura est excellentissima. Deinde: mater & virgo. Postea fides & cor humanum. Mirum enim, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodet, & credere possit, quod Deus homo sit, quod virgo fuerit quæ peperisset. Sicut ferrum & testa iungi non possunt, sic hæc duo nequeunt commisceri, si non misceatur glutinum, spiritus scilicet Dei. Hæc Bernhardus. Posterius est. Cum constet quare ille ὁ διαφότης Φιλόψυχος, vt Philo Christum nominat, καὶ Φιλάνθρωπος, cuius delitiæ sunt esse cum filys hominum, vt in prouerbys Salomonis est, quare inquam nostram carnem assumere, sibi vnire & exaltare, & ad dextram patris sui collocare voluerit, vt nos scilicet in æternum, vita & salute æterna donaret, simus læti & animosi contra omnes Diabolorum, Tyrannorum & totius mundi furores, insidias & fremitus, & sciamus nostram carnem, vt Bernhardi consolatio ante agonem hæc fuit, iam sedere ad dexteram Dei, & agamus Deo gratias pro hoc immenso beneficio, quod longè maius est, quam vt vel Angelorum vel hominum voce

non tantum in hac vita, sed ne quidem in aeternum satis & pro dignitate celebrari possit. Aspicit iam Deus Pater te & me in forma hominis, non qualis nostra est forma & natura, misera, imbecillis, peccato & morti obnoxia, sed in forma hominis, qui in excelsis est Iehoua, & qui vocat nos: Venite ad me omnes. Huic igitur, qui hactenus, quis putet? nos saluos & incolumes rexit & protexit, confidamus & deinceps, certa fide & spe, non dormire nec dormitare custodem Israëlis. Rogemus quæ ad pacem sunt Ierusalem, & sustentemus nos hac vel una consolatione, quod etiamsi nil sumus, & miseri nulla solatia nouimus: tamen Christus naturæ massam nostræ gerat. Te igitur ô Fili Dei Domine noster Iesu Christe, ô dulcis Emanuel, ô suauis puer, ô pater & frater, oramus ardentibus votis, vt in his fecibus mundi impuris, turbidis et sordidis, & tamen ebullientibus & spumantibus supra modum, nobis miseris adsis, nos doceas, ducas, regas, gubernes, defendas, protegas, desq; nobis ad omnes actiones salutaria consilia, & facias nos vasa misericordiæ, & organa salutaria animis nostris, & tuæ Ecclesiæ, nec sinas nos esse aut fieri vasa iræ. Si quid adhuc sumus, ærumnæ sumus atq; labores, Noster & est omni parte dolere, dolor. Sed sumus tamen & viuimus adhuc tuo beneficio, &

sustén-

sustentamur potenti & clementi manu tua. Tu nos redemisti: Tu vitis nostra, nos palmites tui sumus. Tibi nos, animam, corpus, vires, facultates, studia, Ecclesiam, Scholam, politiam, Oeconomiam, & totam vitam committimus & commendamus: si unum te habemus, quicquid eueniat, satis est.

QVÆSTIO DE PERIVRIO ETHNICO, IENÆ IN PROMOTIONE MAGISTRORVM PROPOSITA Nicolao Selneccero, in Decanatu viri clariss. & doctiss. M. Iohannis Rosæ, Calend. Iulij, 1568.

NON credo quenquam fore in hoc ampliss. consessu & ex toto cœtu scholastico adeo iniquũ iudicem, qui mihi vitio daturus sit, quod iussus aliquid proferre in medium reuerenter obtempero. Neq; enim vlli ignotum esse potest, quid legibus, quid honestæ consuetudini, quid pietati & reuerentiæ erga præceptores quouis tempore & loco exercendæ debeatur. Quare omissa omni προθεραπείᾳ, quæ diffidentiæ facilius

quam excusationis speciem habere poterat, ἄνευ προοιμίων quæstionem, vt moris est, propono, sumtam ex ampliss. disputationib. de iuramento, quæ & mihi aliquando fecit negotium, & vt arbitror quoq; alijs, quibus in mentem venit, iniecere potuit scrupulum. Sæpe dicitur de periurio, & vtile est homines de hac re subinde admoneri, hoc præsertim seculo, quo tam rara est vera pietas, quo iurisiurandi religio prostat, & in quæstu pro meretrice sedet, quo iuramentum, vt quidam apud Gellium dicit, emplastrum est aris alienis & multorum scelerum, quo luditur sacramento iurisiurandi, vt pueri ludunt astragalis. Olim ob hoc crimen Græca gens præcipuè male audiebat, sicut eam hoc nomine Cicero in oratione pro Flacco perstringit, obijciens illis hoc: δάνεισόν μοι μαρτυρίαν, da mihi mutuum testimonium, hoc est: Vide vt mea caussa & in mei gratiam strenuè mentiaris, & si opus sit vel Iouem lapidem iures. Notata fuit & Pœnorum leuitas hoc genere perfidiæ, olim infamis. Sed omnem omnium leuiss. leuitatem & perfidiss. perfidiam hodie, proh dolor, nostra ætatis leuitas & perfidia superat, nec dubium est, hanc vnam esse de caussis, propter quas plectitur & torquetur tot pœnis Germania, sicut nulla non ætas, vidit frequentia exempla puniti periurij, quæ obseruata & notata

ascu-

accuratius, extorserunt & gentilib. & ipsi diabolo voces, quibus periuriorum infelicitas exprimitur: In 2. τῆς ἀναβάσεως apud Xenophontem Clearchus de violatione iuramenti loquens inquit: ὅστις δὲ τῶν θεῶν συνοιδέν ἀυτῷ παρημεληκὼς, τοῦτον ἔγω οὔποτ' ἂν εὐδαιμονίσαιμι. Qui sibi conscius est quod deos periurio scilicet læserit, de huius ego felicitate nihil vnquam habeo, quod bene sperem. Et noti sunt versus: Ab miser & si quis primo periuria cælat, Sera tamen tacitis pœna venit pedibus. Diabolus etaim, vt est in sexto Herodoti, quanquam studio confirmandi alia sua mendacia potius, quam consulendi hominib. oraculo protulit hunc versum etiam ab Hesiodo vsurpatum:

ἄνδρος δὲ εὐόρκου γενεὴ μετοπίσθεν ἄμεινων.

Verumnon est mihi animus, vel de leuitate huius sæculi vel de toto periuriorum scelere & pœnis quib. se & alios periuri tandem implicant, verba facere. Hoc autem quæro:

AN ETHNICI IVRANTES per eos quos ipsi pro dijs habebant, quando fefellerunt fidem sacramento iurisiurandi confirmatam, verè fuerint rei periurij?

Videntur enim à crimine ψευδορκίας purgari posse his rationibus. Testimonium quod nititur allegatione testis qui non est in rerum natura, planè nullum est, & nihil nisi inane nomen. Vt si quis aliquid confirmaret Bucephali aut Chimeræ & Hippocentauri testimonio. Iuramentum autem Ethnicorum adduxit idolum, quod, vt Paulus ait, scimus esse nihil. Vbi enim sunt innumerabiles illi Dij per quos ipsi iurare solebant? aut etiamsi quid eorum esset vel fuisset, quod pro deo habuerunt, vbi habuit vnquam diuinam naturam & potentiam? Non igitur tale iuramentum verè fuit iuramentum & per consequens eius violatio non fuit periurium. Deinde: Sicut non est vera inuocatio sed inane murmur potius, quæ non est directa ad verum Deum, ita cum iuramentum sit pars quædam inuocationis, non potest esse verum iuramentum, quando non verum Deum testem adducit. Cum autem Ethnici à vero Deo toto cœlo aberrent, ipsum neque adducunt mentione numinis nec mentiendo eum quem non adduxerunt, sed cui substituerunt (vt scholasticè loquiar) terminos fictos, contumelia vlla afficiunt. Quomodo enim me læderet qui allegata non mea sed alterius cuiusdam autoritate à fide discessisset?

Sed

Sed ab altera parte obstat grauissima ratio ex ipso euentu sumta. Semper Deus insignia spectacula pœnarum proposuit, quibus animaduertit in Ethnicos, fidem, vel idolatrica numinis mentione confirmatam, fallentes. Habuit igitur istam violationem pro periurio, & videtur eius reiratio afferri posse hac: Qui præsumit aliquid mali committere, nitens autoritate cuiusdam personæ, etiamsi in persona errat, tamen eum contumelia afficit, cuius autoritate in animo habuit abuti se velle. Vt verbi caussa, si quis alium, quem TE esse existimaret, allegaret testem, & illo modo falleret alios, certe tibi ipsi contumeliam factam esse posses queri, & illi succensere merito. Aut si quis te verbis contumeliosis aut alio iniuriarum genere inuasurus, adoriretur alium quempiam, quẽ te esse arbitraretur, id quanquam in persona commissum alia, tu tamen non alio animo esses laturus puto, quam si tibi ipsi iniuria illa accidisset.

RVRSVS AVTEM ET hoc potest obijci.

Pœnarum illarum, quæ Ethnicis periuris impositæ fuerunt, videri posse non tam Deum, quam diabolum, qui hac ratione stabilire idolo-

rum

rum autoritatem, & idolatricos cultus ab ea dependentes, ad hominum perniciem voluerit, fuisse autorem, sicut sæpè violatores statuarum aut suorum specuum & fanorum prædatores, vt Gallos direpturos templum Delphicum, & alios innumeros, grauissimis damnis affecit, quæ non à Deo sed ab ipsiss. diabolo hac ratione suis ludibrijs, plus admirationis & venerationis conciliaturo profecta fuisse, planè non est dubium. Adde quod & hanc ob causam non videntur tales pœnæ Deo rectè tribui, quia confirmarunt idolatriam, à qua Deus non minus, quam ab omnibus peccatis est alienissimus. Item. Cum Deus sit longanimis & multas contumelias sibi ipsi immediatè factas toleret, cur non condonaret ea quæ in præsumtione circa ipsum errant? Ad hunc modum afferri possent plures rationes in vtramq; sententiam, & disputari more Academico prolixe, sed ego grauiores solummodo attigi, cumq; quæstionis propositæ decisio requirat magnam prudentiam, ne vel idola cum vero Deo confundantur, aut in vllã societatẽ diuinæ manifestatis quocunq; modo veniant, vberiorẽ item doctrinam & iudicium maturius quam mea fert tenuitas desideret, reuerenter oro Reuerendum & Clariss. virum Dominum M. Nicolaum Senecerum, communem nostrum Præceptorem, perpe-

perpetua obseruantia colendum, vt quid de hac quæstione definitiuè & verè statui debeat nos doceat. Erit id haud dubie pergratum omnibus, & ego magni beneficij loco illud habebo.

Calend. Iulij Anno 1568.

Responsio.

QVOD initio tua quæstionis feciſti, id me quoq; iuste & tuto facere posse arbitror, vt omissa omni προκατασκευῇ, qua diffidentia facilius, quam excusationis speciem habere recte iudicas, ἀνὰ πρόοιμίων respondeam. Potueras quidem, & vt mihi videtur, tui officij fuerat ad alium ex meis collegis viris clariss. iudicio & doctrina præstantiorem, quam me esse agnosco & fateor, tuam quæstionem deferre. Sed quia clariss. D. Decano, collega, fratri, & compatri meo colendo, ex singulari quadam vel opinione de meis studijs, vel beneuolentia erga me, placuit, vt me compellares, eius voluntati officiose morem geram, obligatus & deuinctus ei multis modis ad maiora officia, quæ etiam sancte polliceor, præstanda, licet ea admodum ἄδηλα et propemodum ἀδύνατα proficiſci à me possint. Laudo autem tuam pietatem, qui hoc tempore de sacro-

sancta

ſancta iurisiurandi religione piè & reuerenter ſentis & diſſeris, & conſideras, quantum ſit, inuocare & allegare teſtem & iudicem noſtrarum cogitationum, noſtri animi & propoſiti, noſtræ conſcientiæ, noſtræ προαιρέσεως & voluntatis, noſtri ſermonis, & actionum noſtrarum, ipſum Deum καρδιογνώστην, veritatis autorem, conſeruatorem & vindicem, & omnium fallaciarum, doliq; omnis & mendacij ſeueriſſimum hoſtem & vltorem. Vtinam hodie non tam politici & alij ex vulgo, quam illi ipſi, qui religioſæ pietatis & honeſtæ humanitatis profeſſionem ſibi paſſim vendicant, verè memores, verè ſtudioſi, amantes & ſeruantes eſſent iurisiurandi, quod dederunt Deo in baptiſmo, & ſe obſtrinxerunt ad veram doctrinam & fidem, ad pietatem & honeſtatem vitæ, ad mutuæ dilectionis officia, ad ſalutarem concordiam, ad fidelitatem in vocatione, & ad reddendam de doctrina, & vita rationem iuſto & ſummo Iudici. Sed non poſſum, quin exclamem, ô miſeram vitæ conditionem, ô conſuetudinem & licentiam peierandi, ô rem totam odioſam, ô tempora & mores, & intolerabilia plurima locis omnibus cogitatu & auditu horrenda, quæ hac ætate conficiunt & enecant animos piorum & bonorum omnium, in tanta omnium rerum degeneratione, ἀκηδίᾳ, ſecuritate hominum extrema,

perſi-

perfidia, &, vt piorum pace & venia eloquar, quod sentio, in hac indouratione & ἀναισθησία maxima partis generis humani, etiam in ipso vtero Rebeccæ siue in ipsa Ecclesia, in qua multi ex doctoribus & alys sacrosancto iuramento, Deo & sibi inuicem deuincti, & vni capiti Filio Dei, vnique fidei & saluti agglutinati, rumpunt & dilacerant omne iusiurandum, omnem fidem, omnem pietatem, & concordiam, & Medeæ cruentis & tetris manibus furunt & sæuiunt in miserrimam prolem, imo in ipsam matrem, anum infirmam, decrepitam, derelictam, contemtam, lethaliter decumbentem, & vix ossibus suis hærentem, quæ si vnquam antea, iam iam edit ad Deum vocem Dauidicam: Ne proijce me in senectute, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me in canicie mea. Profecto manet & manebit vsq; ad Filij Dei reditum verissima hæc thesis & regula: Quisquis rationem veræ doctrinæ & salutaris concordiæ non habet, siue, vt Paulus loquitur, non retinet fidem & bonam conscientiam cum erga Deum, tum erga proximum, is fidem Deo datam frangit, & periurus est. Hæc autem nunc, quæ exaggerari merito poterant & debebam, relinquo consideranda pijs animis, quorum Dei beneficio multos in hoc cœtu & consessu præsentes esse, certo scio. Iuniores autem hortor, obse-

cro

cro & obteſtor, vt in ſtudijs, actionibusq; ſuis, & in tota vita ſemper cogitent de iuramento, quod Deo, parentibus & præceptoribus ſuis dederunt. Nunquam enim ille vel veræ doctrinæ, vel ſalutari concordiæ facile obeſſe poterit, nec quid contra conſcientiam, aut contra proximum, temere inſtituet & aget, (quem ſcit ſibi non tantum ratione creationis, ſimilitudinis, communis vitæ & humanæ ſocietatis, ſed etiam ratione myſtici corporis, regenerationis, vocationis etiam communis ad vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vt Pauli verbis vtar, & ratione futuræ & æternæ gloriæ, coniunctum eſſe) nunquam ille inquam incommodabit veritati & paci, qui iuramenti ſui memor eſt. Valeant alij immemores religionis iurisiurandi, retineant inquietas conſcientias & liuore & veneno ſuo, faſtu & furore turbent omnia, calumnientur & conſpurcent piorum labores & ſudores: te pietatis amor, te ſacri gloria verbi, te fidei, & pacis, &, vt ille inquit, rationis olim reddendæ ratio moueat ad primi iuramenti tui conſiderationem & religioſam obſeruantiam. Erit tempus, erit dies & hora, erit locus in quo omnia proferentur in apricum. Sed iam non immorabor huic argumento, quod & peculiare otium & opportunum tempus poſtulare videtur. Hoc vero indicandum cenſeo, pijs mentibus

tibus ſtimulum & calcar ad veneratioñem iuris iurandi & veritatis, addi, ſi conſideretur antiquitatis pietas, & ſimul exempla pœnarum, in quas ruerunt periuri, ob oculos ponantur. Sacra litera iuramento indunt appellationem numeri ſeptenarij, quem eruditi ſciunt ſacrum eſſe. Schebaenim & ſeptem & iusiurandum ſignificat, vnde dictio eſt Beerſeba, Geneſ. 21. & 26. quæ fontem iuramenti ſignificat, quo nomine noſtrum hunc conſeſſum, vt hoc obiter commemorem, & ſcholam noſtram, in qua fontes Iſraël manant, & qualis adhuc illa Dei beneficio iam & hoc momento eſt, appellare & inſignire poſſumus, contra Palaeſtinorum ſordes, illuuiem & erinnyas. Volunt ſacræ litteræ iusiurandum eſſe ſacroſanctum, in quo & Dei & noſtra voluntas acquieſcat, ſicut ſeptimo die Deus quieuit ab omni opere ſuo creando ex nihilo. Et ſicut id ſummum & vltimum eſt, quo Deus ſeſe obligare nobis poteſt, iuramentum ſcilicet diuinum, vt quando inquit: Viuo ego: ita ſciamus, ſummum & vltimum eſſe illud, quo Deo obligamur, cum damus iusiurandum. Hoc Sabbatum, hæc vltima quies & religio, & aſylon Chriſtianorum eſſe debet. Noſtri maiores, Germani veteres, ex Hebræo mutuati ſunt vocem Eid/ qua firmum & ſtabile teſtimonium ſignificat, ſuſtentatum vt ita loquar, verbo

& facto. Et in stipulatione coniugali, socerum & generum, appellationibus sacrosanctis a iureiurando deductis, vtrunq; suæ fidei commonefecerunt. Et nota est ex litteris Gotthorum, Iustiniano missis, religio iurisiurandi, vsurpata a Germanis, in quibus πρὸς τὴν ἐλευθερίαν, id est, per suam libertatem iurare soliti fuerunt, sicut Romani per lapidem proiectum in terram, additis his verbis: Si sciens fallo, tum me Diespiter salua vrbe reiiciat, vt ego hunc lapidem abiicio. Hæc ostendũt, quanta veneratione vetustas olim iusiurandum nominarit, dederit, coluerit, seruarit, detestata & execrata simul periuros omnes, ceu dignos acinace, vt Germani in suis iuramentis locuti fuerunt, id est, glàdio & morte. Numa Pompilius dextram manum nominari voluit sacrosanctum membrum, quo iusiurandum, pietas & fides confirmetur, & quod violare nemo ausit, nisi in Dei indignationem σφῆσιν ἀταθαλίησιν incurrere velit, quemadmodum de Agesilao historia commemoratur, sibi illum victoriam pollicitum & gratulatum contra hostes fuisse, cum istos iureiurando & fœdere non stetisse audiuisset. Deus, inquit, non potest offendi & irritari grauius & acerbius, quam cum iusiurandum nomine eius datum in re tolerabili, rescinditur. Et ne vetera exempla recitem, sunt iam anni-

ni elapsi centum & viginti quatuor, cum Vladislaus Vngariæ Rex Pontificis Romani suasu, ad abrogandam & renunciandam fœderis cum Turca initi fidem, permotus, miserabili strage periit, & exercitus Christianorum cæsus est. Fertur Turca tum ad crucem, quam forte non procul à Varna conspicatus fuerat, alta voce ante congressum cum nostris, exclamasse: Audi Christe crucifixe, si tu es Filius Dei, vt tuus populus te esse affirmat, vindica iusticiam & veritatem, & hodie ipso facto ostende, tibi non placere periurium tui populi. Notæ sunt tragœdiæ similes & historiæ puniti periurij, & ne de Glauco Spartiata, Græcis, Pœnis, Philippo Macedonum Rege, Cinea, & alijs iam dicam, quid Rudolpho Sueuiæ Duci, quid Ottacaro Bohemo, quid Goduino Comiti Anglico, quid nobili Bauaro, cui propter periurium horrenda illusione diabolus imposuit, quid ante annos quadraginta hospiti Marchitæ abducto à militis aduersarij sui aduocato, quid Hattoni Episcopo Moguntino à dæmonibus propter periurium abrepto, quid etiam nostra ætate multis alijs publicè & priuatim acciderit, plerisq; vestrum satis constat. Testes fuerunt sæpe manus, sæpe digiti concreti, qui producti de sepulcris, non putrefacti, à maioribus nostris loco notæ, qua patratum periurium indicaretur, habiti

ſunt. Sæpe tabes, ſæpe apiplexia, & epelepſia, ſæpe eryſipelas, ſeu ignis ſacer in brachio aut aliis membris, ſæpe catalepſis ſiue congelatio, ſæpe maraſmus, ſæpe etiam extrema paraphroſyne & delirium, prodiderunt periurium. Cygneæ teſtudinem Curiæ egiſſe rimas, quæ adhuc appareant, conſtanter fertur, cum quidam illîc peieraſſet. Adeo & ipſi parietes, & circumſtans aër, ipſe dies, ne de Angelorum præſentia, & cuiusq; conſcientia dicam, periuros accuſant, & accuſabunt in vltimo iudicio. Et pœnæ, quas quotidie ſentimus & ſuſtinemus, nos leuitatis, perfidiæ, & malitiæ ætatis noſtræ arguunt, ſicut ea de cauſſa Iudæum, cum is ex Chriſtiano quæſiſſet, quî fieret, quod claudi, cæci, mendici, multisq; morbis & infortunijs obnoxij, plures in cœtu Chriſtianorum deprehenderentur, quam alibi vſpiam inter gentes, Chriſtiano cauſſam ſe ignorare dicenti, reſpondiſſe ferunt, nullas inueniri gentes, quæ tot periurijs, & tantis blaſphemijs offenderent ſuum Deum, quem ſe colere profiterentur, atq; Chriſtianos, ideoq; atrocius hos puniri à ſuo Deo, quam alios populos. Sed de his plura verba facere iam deſino, & iunioribus Phocylidis verſiculum commendo:

ψεύδορκον φυγέειν θεὸς ἄμβροτος, ὅστις ἀνὴρ
μόρσῃ.

Piera-

Peieratorem odit Deus immortalis, quicunque peierarit.

Nunc ad tuam quæstionem breuissime respondebo, quam institutam esse video de duobus membris, de culpa videlicet & de pœna periurij ethnici. Quod igitur ad culpam attinet, cũ in eiusmodi argumentis, non ex obiectorum vanitate & diuersitate, sed ex caussa impulsiua & προαιρέσει idolatrarum, iudicium sumendum sit, acquiesco in sententia Augustini, qui sermone 28. de verbis Iacobi, Nolite iurare, ita inquit. Multi in hoc falluntur, & putant quod nihil est, per quod iurant, non se crimine teneri periurij. Prorsus periurus es, quod per id, quod sanctum putas, falsum iuras. Sed ego illum sanctum non puto. Sanctum puto cui iuras. Iuras ante Deum. Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem. Idolatræ enim cogitant sua idola esse Deos, etiamsi nihil sint, vt loquitur Paulus, id est, sint quiddam fictum & commentitium, cui nulla veritas aut efficacia subest. Quod vero ad pœnam attinet, de qua quæstio est difficilior, idem Augustinus ad Publicolam ita scribens inquit: Te considerare volo, vtrum si quispiam per Deos falsos iurauerit, & fidem non seruauerit, non tibi videatur bis peccasse. Bis vtiq; peccauit, quia iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fecit fi-

dem, quod non debuit. Et ſapiens Philo ait: Idolatræ propter vtrunq; iuſtè puniuntur, cum quod male de Deo ſentiunt, idolis dediti, tum quod iniuſte & doloſe iurant ex contemtu religionis. Nam malitia iniuſtorum tandem deſinit, & iuſto Dei iudicio punitur, ſiue id fiat variis modis, ſiue immediatè per ipſum diabolum, qui alioqui in idolatras poteſtatem habet, ſibi à Deo permiſſam, & ex vniuerſali pœnarum regula, quæ incognito mediatore Filio Dei nullam apud Ethnicos exceptionem admittit, ſæpe pœnas & prædicere & exequi poteſt, præſertim in eos, qui alioqui iuſto Dei iudicio puniendi, & in regno diaboli ſunt, etiamſi id totum hoſtis iſte peruerſo fine, ad ſtabiliendam nimirum idolatriam, & exercendam ſuam, implendamq; malitiam, non ad gloriam Dei faciat, quem tamen finem ipſe Deus confundit & tandem inuertit. Rationes autem omnes permiſſionis diuinæ in hac vita penitus ſcrutari & intelligere non poſſumus. Hoc certum eſt, Satanam, ſi quid poteſt & facit, poſſe & facere Dei permiſſione, ita vt etiam brutis animalibus, nedum hominibus, ſine Dei permiſſione, nocere non poſſit. Hæc ad tuam quæſtionem breuiſſime reſpondere volui, reſeruatis & dilatis multis in aliud commodius tempus, & otium ſtudijs pietatis & humanitatis magis propicium

picium & idoneum, quam prô dolor nunc habemus.

ὃ σέ λάθοι ὦ χριστὲ κακῶν τῶνδ' αἴτιος ὅστις.

Cogitem is autem, quanta multitudo hominum, Monarcharum, Regum, Principum, nobilium, eruditorum & aliorùm subijcienda sit olim supplicijs æternis propter idolatriam & periurium: & in huius rei meditatione oremus Deum, ne sinat nos induci in tentationem, nec permittat diabolo, vt nos ceu triticum ventilet. Simus etiam certi nos agnosci & curari à Deo, & quidem ita, vt etiam capitum nostrorum capilli numerati sint omnes, quos diabolus & huius satrapæ & manipulus siue in Ecclesia, & scholis, siue in alio vitæ genere, nec possunt nec debent, nec audent attingere, modo nos Christo Domino nostro adhæreamus, diabolum & insidias eius, tetras quidem & monstrosas, sed tandem flaccentes & euanescentes, detegenti, repellenti, confundenti.

Pectore fide Deo forti, speraq́; pusillum,
Solius in Christi nomine viue, vale.
Dixi.

STVDIOSIS S. THEOLOGIÆ IN ACADEMIA IENENSI.

S.

OPtimi adoleſcentes, auditores cariſsimi. Quanto dolore animi halcyonia noſtra turbari videamus, & cœtum noſtrum docentium & diſcentium affligi, & eneruari, ſingulos veſtrum ſentire & experiri certum eſt. Viximus hactenus vnà ad quadriennium ferè, in ſimplicitate fidei ſanctè & religioſe, & nihil aliud, niſi veritatem cœleſtem & in explicatione ſacrarum litterarum, & in omnibus veræ fidei articulis quæſiuimus, Deo iuuante & regente ſtudia & diligentiam operæ noſtræ. Nunc, cum ſuperatis antea aduerſitatibus & paroxyſmis multis in Eccleſia, Schola & Rep. ſperaſſemus nauiculam noſtram ad portum deductum iri, ſcopulis admodum duris ita illa denuo illiditur, vt naufragij periculum ante oculos præſens verſetur. Cum autem ratione & profeſsionis, officijq́; mei, ac fidei quoq; noſtrum omnium, quæ minus, quàm pupilla oculi, ſe offendi aut inuerti, torqueri & premi patitur, ſi modo illa in nobis inuiolata fuerit, monſtraſſem ea, quæ ad ſtudia pietatis, & ſalutarem inter nos concordiam & publicum commodum, piumq́; in primis conſenſum cum vicinis Academijs, Illuſtriſs. Electoris Saxoniæ clemen-

clementiſsima tutela, Dei beneficio protectis, ex quibus hæc tanquam colonia deducta eſt, & ad propagationem veræ doctrinæ pertinent, cum inquam de illis quædam, iuſſus etiam & principali ſeueritate adactus humiliter ſubijciendo & notando tantum monuiſſem, vt iſta, quæ ante oculos ſunt, & naufragium minitari videntur, pie & prudenter auerterentur, & noſtra Sarepta & Argo incolumis maneret, &, quod hactenus in omnibus recte conſtitutis Academijs religioſe ſeruatum eſt, autoritas recte in illis docentiũ non poſtponeretur rabioſis, & indoctis vociferatorib. qui ἔχθρας, ἔριδα, ζῆλον, θυμοὺς, ἐριθείας, διχοστασίας & ſimiles peſtes pietatis, ſub ſpecie conſtantiæ & fortitudinis occultant, & autoritatem ſcholarum & omnium, qui in his docent, omnibus viribus labefactare conantur: Ecce hanc ipſam ob cauſſam & obœdientiam meam dignus ego iudicor, qui primus è naui in fluctus, & mare tempeſtuoſum conijciar. Roganti vero, vt ſaltem operas meas eo ductu ſincero, vero, recto, ſalutari, & ſimplici, quem à præceptoribus meis Reuerendis olim acceptum, ſecutus ſum ſemper, & ſequar, Deo dante, dum vixero, facere mihi in noſtra naui liceat, & interea, ne ſubito, pro more circundatus absque culpa in ſalſum mare præcipiter, viris bonis obtemperanti, & paulatim egredienti, & bona conſcientia, & ſeceſſione omnib. pijs doctorib. & alijs diuino & humano iure conceſſa, mihi

meisq; cauenti, donec ſpumans & turbidus in ſeſe, turbásq; alia plæraq;, feruor animi in illis, qui clementia & benignitate ſimplici abutuntur, aliquo modo reſideat, ſi id vnquam modo ſperandum ſit, non tantum nullum reſponſum datur, ſed inſuper quaſi contra voluntatem & votum præcipuorum iſthic hæſerim, quod etiam creditu facilimum eſt, cum conatus multos ita repreſſos & impeditos fuiſſe conſtet, animo & voce non ſatis ſapiente aut prudente obijcitur, addita accuſatione, quaſi contrarijs magiſtratui remotis, alij ſubrogandi ſint, qui probent, quæ ſuſcipiuntur. Hæc igitur calamitas, ne quid aliud dicam, (cum oculus Dei omnia contemplantis & vindicantis non neceſſariam optime munitorum & ædificatorum deſtructionem, vt ea aliorum iniurijs pateant, quod Hebræis proprie ſignificat בלק, etiam num apertus ſit) efficit, vt diſiunctionem ſtudiorum & laborum noſtrorum æquis animis tolerare nos oporteat. Vere autem teſtari poſſum, in vita mihi iucundius & gratius fuiſſe nihil, quàm noſtrum cum collegis, Viris Clariſs. & doctiſs. conſenſum in iungendis laboribus, communicandis conſilijs, querelis etiam mutuis, hilaritate tamen ſcholaſtica, eaq; pia & omnes honeſtos decente & ornante emollitis & ſuperatis. Nunc cum Deo permittenti Satanæ & huius Erinnybus licentiam iſtam proterue diſsipandi & diuellendi nos,

nos, ob noſtram ingratitudinem, videatur, ne vnà eſſe & viuere poſsimus, obœdiamus diuinæ voluntati, & litigioſis concedamus, quæ comminiſcuntur, potius, quam vt cum mente ferè captis, quibus & concordiæ modeſtiæq; dulcis appellatio in eccleſijs ſcholisq; ſuſpecta, & conſpirationis nomine digna iam dudum fieri cepit, argumentis decertemus, cum nihil nos proficere, ſed rabiem potius augeri iſtorum, & confirmari petulantiam ſeculi huius, flaccidi, & morbidi videamus. Vobis autem hæc, vt qua impulſo cauſſa, digrediendum aliò mihi fuerit, cognoſcatis, ne vanis, vt fieri ſolet, rumuſculis vana fides habeatur, ſic ico, deferens ſimul mea, quacunq; in re præſtari ea poterunt, officia, oransq; Deum æternum patrem Saluatoris noſtri vnici IESV CHRISTI, vt in vera ſententia, & obnoxia obœdientia, gubernetur & inſtruatur iudicium ac voluntas noſtra numine Sancti Spiritus, repreſsis molitionibus cum aduerſariorum manifeſte, tum hypocritarum, qui prætextu religionis & zeli ſingularis peruertunt & deformant religionem, & ad præhenſandas inſectationum & criminationum, perſecutionis etiam crudeliſsimæ anſas, autores hoſtibus & adiutores ſunt. Bene & feliciter in Chriſto valete, laborate & orate. Decimo Calendas Auguſti. M. D. LXVIII.

Nicolaus Selneccerus.

Carmen

CARMEN ἀπευχαριστικὸν, RECITATVM IN ACADEMIA LIPSICA, à Nicolao Selneccero, XVII. Calend. Septembris, Anno Domini 1568.

QVod faustũ, quod sit felix, te Christe redemptor
Autore, & nostros te fortunante labores (tuos
Ordiar, & cathedræ doctissima pulpita tangam
Huius, & vt prosim vera ratione studebo.
Christe patris splendor, viuum de lumine lumẽ,
Da facilem cursum, sacris Deus annue ceptis,
Da portum, da tranquillæ pia munera sedis,
Hospitiumq́, humili dudum iam voce petitum.
Vos ego, Rectorem, præceptoresq́ colendos,
Collegas, dominos, sinceræ & mentis amicos,
Illustrisq́ scholæ, qua possum voce, coronam
Supplice, subiecta, fucoq́ & fraude carente
Alloquor, & placidis adsitis vt auribus oro.
Fertur, & vt fertur sic res est; qualis habetur
Prima aditus ratio, qua voce manuq́ secunda,
Talis amicitiæ sequitur veriq́ fauoris
Conditio: sic omen habent exordia certum.
Spes igitur mentiq́ meæ nunc insidet alta,
Et linguæ memoranda venit, me iure fauorem
Vestrum posse mihi promittere, quando benigne
Exceptus manibus, studijsq́ adiutus honestis
Primo aditu vestram veni peregrinus ad vrbem.
Magna fuit quondã hospitij reuerentia sacri,
Relligio, virtus, decus, & dignissima merces,

Quod

Quod violare ſcelus fuit atra morte piandum.
Hæc virtus vt rara hodie eſt, ita carmine digna,
Caraq3 magnificum nomen laudemq3 meretur,
Et plærunq3 patet doctorum ad tecta virorum,
Mens quorum pietatis amans, ſtudioſaq3 recti eſt,
Cogitat & nos hoſpitibus, dum viuimus, eſſe
Conſimiles, donec paſsim volitamus in orbe.
Hoſpitiũ quod mite etiam mihi veſtra Sarepta
Præbet, in hac opus, & partem munusq3 docendi
Enſifero tribuente mihi, tutante clientem
Principe magnanimo, fido patriæq3 parente,
Auguſto: decet & fas eſt, vt dicere grates
Incipiam, Chriſtoq3 Duciq3 Viriſq3 colendis.
Gnate Dei, via, vita, ſalus, portusq3 tuorum,
Incuius manibus ſunt omnia fata piorum,
Mente tibi grata grates, & pectore toto
Dico, tuumq3 tuo culturus numine nomen
Te celebrabo, mei quod curam ſuſcipis ipſe.
Tu me duxiſti ſemper, tu cuncta dediſti
Ad ſtudia & vitam ſpectantia commoda ſolus.
Tu mihi dixiſti, quæ quondam verba profeſſus
Iſacides natis retulit, numeroq3 nepotum:
Tecum ero, te ducam pauitantem, teq3 reducam,
Inq3 tuam vigilabo domum, vigilabo ſalutem,
Atq3 aras faciam te rurſus adire priores.
Auertis ſæpe inſidias, diſcrimina vitæ,
Et rerum, diraſq3 minas, & fulmina torques
Longe aliò, quam quò multi miſſa eſſe volebant.
Eripis & nos ignaros ductusq3 viaq3,
Hoſtibus iniungens: ſinite hos mihi prorſus abire
Intactos, vmbraq3 mea & velamine tectos.

Non etenim nobis circundedit horrida tela,
Baliſtas, tormenta, trucisq3 adamantina Martis
Præſidia æternus pater, in Verbo arma reponens
Cuncta ſuo, vincensq3 hac vna voce, quod inquit:
Interdico meos, fixa eſt ſententia, Chriſtos
Tangere, veridicis nolite nocere Prophetis.
Hæc mihi narranti facies heu temporis huius
Occurrit, mentemq3 replet terrore metuq3,
Non tantum varijs dum nunc Eccleſia paſſim
Hoſtibus impetitur, manifeſtis atq3 piorum
Dira gregi ſemper, tetrasq3 ſtruentibus artes,
Vt ſibi de Ieſu qui nomine nomina fingunt,
Quos furor & rabies agitans adiudicat Orco,
Dum nihil obijciunt, niſi næuos, vulnera, ſectas,
Et ſtimulant veterem inſana ratione furorem:
Verum etiam tales iuncto dum robore ſurgunt,
Quos fratres, quos & ſocios habuiſſe decebat,
Qui prius ædificata, & magno erecta labore
Magne Luthere tuo, & magna pietate Philippi,
Euertunt, faciuntq3 ex viuo triſte cadauer
Corpore, turgentes faſtu, ambitione, veneno,
Inuidia, liuore, odio, cupidiq3 nocendi
Omnibus, immanes quibus haud placet edere voces,
Conatusq3 probare feros, & erinnyas atras,
Et zelum, ſcelus heu, cælantem nomine cœli,
Omnia turbantem, vetera & noua cuncta mouen-
Indignisq3 modis veracia corda prementem. (tem,
Vera loquor, nihil affingo, expertusq3 furorem,
Inſidias, odium, rabiem, mendacia, faſtum,
Chriſte tibi grates quas paruo in carmine poſſum.
Nunc ago, agamq3 tibi vitæ ſine fine beatæ

Sedibus

Sedibus in ſacris, templis arisq́ locatus,
Quod greſſus direxiſti, quod tramite recto
Ex Chaldæorum flammis veſtigia ducens
Eripuiſti animam vinclis mortiq́ propinquam,
Tu niſi iuſſiſſes flaccescere vincula prorſus.
Tu redimis, tibi qui fidunt, tibi credere norunt,
Dignus & es, fiant cui vota, & ſacra perenni
Carmine, ceu nobis præſcripſit vena Dauidis
Pſalmographi, cuius nunc verba referre licebit.
Ex animo tibi, viue Deus, tibi ſeruio ſoli,
Te veneror, te ſincero complector amore,
Tu petra, tu robur mihi, portus, turris, aſylon,
Arx mea, vita, quies, meus es ſeruator, & vnus
Vna ſalus rigo, & verè ſors vna ſalutis,
Fidere cui poſſum, cui me, meaq́ omnia credo.
Tu mihi, tu ſcutum, clypeus, munimen & arcus,
Quo mihi vita datur, quo ſemper viuo ſuperſtes.
Vota, Deus, nunc voce feram tibi ſupplice, lau-
Aeternum numen: ſic omni liber ab hoſte (dans
Et viuam, & moriar, ſic & tibi Chriſte reſurgam.
Vincula me mortis, tetri Belialis amara
Flumina me pauidum circumdare docta fremebãt
Compedibus Stygijs, laqueis & mortis agebar.
Heu mihi, nulla quies aderat, ſpes nulla ſalutis.
Cum nimis affligor, Dominũ mox inuoco ſup-
Ipſe meis patulas precib. mox exhibet aures, (plex,
Exauditq́ ſuo de templo vota precantis.
Terra tremebat, eratq́ horror monteſq́ pauę-
Fundamenta mouebantur, cum ſurgeret ira (bant,
Commotus Deus, & fumum ſpiraret & ignem,
Naribus, ore, minis, fremituq́ ſtupendus acerbo,

Paraphraſis Pſalmi XVIII.

Fulmini-

Fulminib. tonitru & flãmis loca ſubdita quaſſans.
Cœlum inclinabat Deus, & caligine cinctus
Deſcendebat, & hinc volitans pernicibus alis
Ventum agitabat, et in tenebris ſua caſtra locabat,
Nubibus in nigris, equitans hinc inde, latebat.
Se nubes vultus præ maieſtate coruſci
Et diſiungebant, & grandine denſabantur
Deſuper emiſſis rutili carbonibus ignis.
Ipſe ſed inde tonans fulmen iaciebat in orbem
Grandine & igne ſonans, & fulgura, tela, ſagittas,
Mittebat Deus omnipotens, Deus omnia replens,
Miſsilia accumulans, & pectora mole pauorum
Conturbans, iraq; ſua ſigna ardua monſtrans.
Tum terræ fontes, arcanaq; flumina aquarum
Recludebantur: currebant omnia riuis
Plena: ſcatebat humus humore & gurgite pleno.
Tum trepidabat homo, & magnæ fundamina
Frangebantur, & inſolito terrore tremebãt, (terra
Conſpectis pœnis in nubibus, aëre, ponto,
Et terra. Sed quæ cauſa eſt? Iuſta ira Tonantis.
Increpat is quoties, & nutu quando furoris
Edit ſigna ſui, cum ſpirat naribus ignem,
Omnia ſtant tremulo pede: Sic perit impius omnis.
At licet, iratus iuſtè ſit, & omnia poſsit
Delere, ad meritum ſi ſtet ſententia noſtrum,
Ipſe tamen bonus eſt: iram miſeratio vincit.
Suſcipit ipſe ſuos: plenis me ſuſcipit vlnis,
Auxiliumq; mihi largitur, & extrahit vndis,
Eq; vado, fundoq; ſua me voce reducit,
Rurſus & in lucem reuocat, donatq; ſalute.
Quos hoſtes habeo, fateor, ſunt magni & atroces.

Et ſpi-

Et ſpirant altum, vi, fraude, doloq3, furoreq3,
Inſidijsq3 tument, artes & mille nocendi
More ſuo fabricant, mendacia flaccida ſpargunt,
Et verum obtinuiſſe volunt in crimine aperto,
Nec doctis dictis contendunt ſed maledictis:
Quid tum? cuncta licet moueãt, quærantq3 ruinã,
Me clemens ſeruat Deus, & ſolatur egentem.
Iſti odijs turgent, fauet at mihi gratia cœli,
Quoſq3 ego non ſupero, quorum uae potentia maior
Viribus eſt noſtris, hos a[illegible]otentia ſummi
Proſternet Regis, nutu compeſcet & vno,
Detecturus & inſidias, & pectore virus
Occultum infido, quod ſe compeſcere neſcit.
Quiq3 mihi illudunt, ſi forte affligor, & audent
Addere plura malis, ſoluent pro crimine pœnas.
Nam Deus ipſe mihi ſcutum, mihi murus & arx
Vndiq3 me preſſum educit, redimitq3 ligatum, (eſt,
Inſtrictasq3 actum fauces me retrahit inde,
Me fouet, & decorat multa vbertate bonorum,
Iuſticiaq3 meæ, qua iuſta & recta peregi,
Vnicus aſſertor Deus eſt, redditq3 viciſsim
Inſonti mihi multa, manus à crimine puras
Enormi ſeruat, lauat, abluit, inſtruit, ornat.
Ergo vijs Domini inſiſto, facioq3 quod ipſe
Iuſſit, & eſt rectæ mihi mens mea conſcia cauſæ,
Quæ noſtræ ſemper dulcis nutricula vitæ eſt.
Sint alij verſuti animo, nectantq3 doloſis
Artibus ex alijs alia, occultentq3 venenum,
Me iuuat integritas, ratio, atq3 oratio ſimplex,
Et ſine labe genus vitæ, ſtudijsq3 dicatum

Ingenium ſacris, quod multis commodet vſu.
Hoc probat, hoc cernit, iuuat & Deus, atq; pa-
Ex animo compenſat opus, dat mitia dona. (terno
Nam pie gnate Dei ſanctos rectosq; tueris,
Sanctius es & rectius, rectis tu rectior adſtas,
Mundus es, & mundos mundis complecteris vlnis,
Peruerſos tu perſequeris, punisq; malignos.
Tu miſeros, humilesq; iuuas, & tollis in altum.
Tu premis elatos, & rurſum trudis ad ima.
Tu mihi das lucem, tu munera noſtra gubernas.
Tu Deus es, tutorq; meus, me lumine claro
Illuſtras, tenebrasq; meas ſplendore nitenti
Immutas, vt grata tibi, Chriſte optime præſtem.
Te Duce contundam facile ſera caſtra malorũ,
Te duce tranſiliam muros, tutusq; manebo,
Te duce victor ero, celebres repetamq; triumphos.
Labe caret via quæq; Dei, ſunt omnia recta,
Quæ facit et loquitur, purgata et in igne probata.
Purius argento eſt Verbum, inuiolabile verbum,
Semper & eſt ſcutum, thorax, clypeusq; piorum.
Non alius Deus eſt, & non eſt fortior vſquam,
Ac Deus eſt noſter, qui me virtute potenti
Munijt, & vera mihi præſtitit arte ſalutem,
Et ſine labe viam, & veſtigia tuta parauit.
Ipſe pedes ceruis ſimiles mihi contulit, altum
Me ſtatuit, fugere & rixas, & prælia dira,
Diſſidia humani ſitientia ſanguinis, & quô
Heu fremitus vocat, & vino furialis Erinnys
Marteq;, eô tandem extremo ſpectantia damno,
Me voluit, fractis vna modo voce ſagittis

Iam

Iam iam ceruici infixis, iam protinus in cor
Mittendis, sed confusis, tibi gratia Christe.
Tu mihi tu Deus es, tua me quoq; dextera fulcit,
Quod sum, quod viuo, quod non sum victus & ictus,
Gratia tota tua est: quod cum mala multa patras-
Non perij mœrore animi, iustoue furore, (sem
Gratia sola tua est, qui me regis, erigis, auges,
Et nostros mihi succurris miserate labores.
Tu me sustentas, etiam cum corrigis vltor,
Et cruce quando probas, miserator ad alta reponis
Culmina vexatum, ad vitamq; è morte reducis,
Dilatasq; meos medio in discrimine gressus,
Vt mea firma probo vestigia cardine consistent,
Ne semper varijs incerta ambagibus errent.
Persequar arte meos, & honestis viribus hostes,
Comprehendāq; celer, nec promtior inde reuertar,
Quam multos ego sustulero, penetrantibus armis,
Quæ verbi vis sacra tui mihi monstrat & offert.
Ceruices illis frangam, superabo scelestos,
Ne valeant solita ratione resistere rectis.
Sub pedibus nostris animo trepidante iacebunt
Et pede colla premam victrici excelsa malorum.
Tu Deus es, qui me vera virtute gerendi
Cuncta doces artem, mihi tu quoq; subijcis hostes,
Inq; fugam vertis: Duce te victoria nostra est.
Osoresq; meos, & seditione potentes
Reprimis & perdis: nam ius te vindice durat.
Et licet hi clament, appellent templa polumq;,
Non tamen exaudis istos, nullusq; salutem (stant.
Qui ferat, est: sonitu frustra astra & templa mole

Non ipſis etenim vere tua gloria cordi eſt,
Verum aliud quærunt: ſummus vult quilibet eſſe,
Inuidet atq; alijs ea, quæ Deus ipſe dediſti.
Turba ſed iſta perit, ceu vẽtus, puluis & vmbra,
Vt via plena luto teritur, ſic impius exit.
Tu pater es, populi turbas & murmura ſedas,
Indeq; me redimis, tu me tu ducis euntem,
Eripis & ſæua tetri de fauce tyranni,
Deq; Labanitis, quibus Eſek Sitnaq; curæ eſt
Et deles hoſtes, & ſeditione ſuperbos.
Te laudabo, tibi gratus pia carmina pangam
O æterne pater, filiq;, & ſpiritus alme.
Frigora quæ cordis nequeunt præſentia noſtri
Præſtare, æterno faciet mens læta calore,
Aeterna ſaluos cum nos in ſede repones.
Pſalmographi verbis grates, tibi Chriſte prophe-
Gnate Dei, & magni patris ſapientia, dixi. (tu
Nunc Auguſte tibi Princeps, Dux inclyte, ſacri
Enſifer Imperij, fotor fautorq; ſcholarum,
Vnanimi quæ conſenſu pia dogmata tradunt,
Quas ego pro meritis potero tibi dicere grates?
Vndecies curſum Sol eſt emenſus ab alto,
Aulæ quando tuæ inciperem ſacra verba profari,
Producto octauum felici munere in annum,
Expertus clementem animum, vocemq; benignam.
Inde abiens, veniamq; petens, cũ forte potentis
Leucadij accenſa ſydus ſe bile moueret,
Sæpe vt vtrinq; bonis contingit crimine demto,
Sum tamen hic animis etiam clementibus vſus.
Principis & nutu cum noſtri cura laboris

Forte foret ſacrata ſcholæ (quæ nomine vatis
Stigelij paſsim primo celebrata vigebat)
Me quoq; magna manens itidem clementia fouit,
Vt Sala ſic veræ concors pietatis, Eliſtro,
Atq; Albi ſtudium coniungeret, eſſet & vna
Vera fides, doctrinæ eadem vox conſona veræ.
Te duce gnate Dei, labor ibat, opusq; profectum
Ex animo, feruebat, apum pro more, fauosq;
Fingebamus, & vtilitas non parua redundans
Ad rectos animos vero candore fluebat.
Vnus erat conſenſus, & his mens dedita templis.
Stöſſelius grauis orator: Roſa ſuauis & ore
Atq; animo: Vuidebrandus honeſto in carmine va-
Egregius: medica felix Schrôterus in arte: (tes
Doctus Ariſtotelis depromere ſenſa Neander:
Et celi curſus ſcrutans Benſoldus amœnos:
Vt reliquos taceam virtute & nomine claros:
Iungebant operas, & erat mens conſcia recti.
Heu mihi nunc prodit facies indigna relatu,
Cinctaq; multiplici Phorcynidos ora Meduſæ
Angue, perit flaccente ſtatu præſtantia rerum,
Integritas perit, & dulcis coniunctio vitæ:
Dum ſuſcepta geri, quæ certè nemo bonorum,
Nî malus eſſe velit, ſcit nobilitare, videmus.
Vix ſedata fuit triſtis commotio belli,
Iam noua fax ardet, noua iam conſurgit Erinnys,
Et temere rumpit venerandæ vincula pacis,
Et mouet hæc, mouet iſta furens, et plæraq; turbat.
His igitur cum me furijs addicere nollem,
Incideremq; inſons in certa pericula vitæ,

Reſponſumq; mihi nulla ratione daretur
Vtilia, & plane non contemnenda monenti,
Nilq; aliud, tutò niſi poſſe manere, petenti.
Hoſpitium & portum, tacito ſeruore remotus
De ſtatione mea, multisq; immaniter actis,
Quærendum ſtatui: pro quo tibi munere grates
Nunc ago nutritor præclare Auguſte ſcholarum:
Et precor vt Magni bonitas & gratia Chriſti
Fluctibus in tantis, & mundi fecibus atris,
Et diſcriminibus rerum, veraq; ſalutis,
Te regat & ſeruans longos tueatur in annos.
Iam ſupereſt veſtris vt dignas auribus addam
In tenui tales ſi poſſem promere graces
Carmine: Præſtantes pietate, viriq; colendi.
Has quia non verbis poſſum, re ſorte, ſtudebo
Vt referam, ſi ſufficient in corpore vires.
Polliceor certe candorem & pectus apertum,
Polliceorq; fidem veram reuerenter in omnes,
Officiumq;, voluntatemq;, operamq; paratam.
Sint qui mè tolerent, candoreq; plurima miti
Tecta velint, modo non enormia: multa viciſſim
Iam dudum didici tolerare, & candidus eſſe.
Hæc certe ratio eſt, & ſic coniunctio vitæ
Durat, & ad ſacras laus hæc & gloria Muſas
Pertinet, & nullis violanda eſt artibus vlli,
Multa audire, tacere, pati, tolerare ſodalem,
Propria perficere, & nævos lenire, precari.
Hæc qui non faciunt, ſacra rumpunt fœdera pacis,
Atq; ſimultates obſcuro in pectore geſtant.
Sis patiens, ſi vis ſapiens, & ſanctus haberi.

Fas

Fac tua, quæ tua sunt, & non aliena require.
Si tua perficies, alieni cura recedet:
Fide Deo, perferq; malum patienter, & ora.
Mitia fata Deus clemens orantibus addet.
Sis placidus, sis humanus, sis mitis & æquus.
Sed quia quottidie repetunt hic talia Musæ,
Desino, promittoq; fidem, placidisq; iuuari
Me peto consilijs. Vnus non omnia cernit.
Et quia nec vires animi, nec corporis adsunt
Iam mihi, canicies & iam caput obtegit alba
Ante diem, Ingenij cursu, & vi corporis omni
Repressa, mihi iudicium tolerabile certo
Polliceor, prorsus nullis qui gaudeo turbis.
Quantulū id est, quod in hoc superest mihi cor-
Ingenioq;, licet curis, & mille subinde (pore paruo
Sollicitudinibus se continuantibus, arcta
Ceu serie, ante diem plagis & verbere caso,
Id totum licet exiguum nunc offero vobis.
Exiguum sane. Promta est laudanda voluntas.
Exiguum placeat: desunt ad splendida vires,
Exiguæ exiguo quæ vix in corpore restant.
O Camerariadum decus & pia gloria stirpis,
Et pater Aonij nostro iam tempore cœtus,
Te præceptorem à teneris, appello, tuoq;
Exemplo reliquos veræ pietatis amore
Præstantes, studijs æquos fore censeo nostris.
Ieiuno sed sufficiant hæc carmine dicta
Festinante nimis nostra tenuiq; Thalia.
Christe tuo nobis firmum da numine robur.
Da vires animi, vires & corporis auge,

Vt ſeruire tuo poßim ſine labe nitori.
Conſeruato ſcholas, agmen, cœtumq; piorum,
Doctrinæ puros ſerua, Deus optime, fontes,
Ipſe Palæſtinos reprimas, quibus vnica cura eſt
Obſtruere illuuie, fœdis & ſordibus illos.
Sic tibi nomen, honos, virtus, laudesq; manebunt.
Ergo quod tandẽ ſit fauſtum, Chriſte Redemtor
Te duce, te noſtro ſucceſſum dante labori,
Ordiar, & cathedræ doctißima pulpita tangam
Huius, & vt proſim vera ratione ſtudebo.

DIXI

16. Auguſti
1568.

PIAE ET STVDIOSAE IVVENTVTI IN ACAMIA LIPSENSI.

SCripsit Gregorius Nazanzenus Episcopus, Theologus, carmen praclarum post discessum suum ab vrbe Constantinopolitana, cum inuidia improborum, bonis omnibus indignantibus, cedens, sedem ibi suam reliquisset. In eo homines istos notat, qui sub sacrosancta ecclesiastica administrationis persona, & amplis. spiritualium bonorum titulis & ornamentis, ac pratextu zeli peculiaris, profanos & improbos tegunt animos & mores, infensissimi pia rectaq; doctrina, & saluripaci & concordia, &, vt ipse inquit:

Sunt scelerum conscensores, & probra virorum,
Ventrosi, latiq;, pudore & lege carentes.
Vinosi, errones, conuicia multa serentes,
Mollibus induti, periuria crebra patrantes,
Qui flaccente odio mendacia flaccida spargunt.
Plebiuori, iniusti, facileq; aliena petentes,
Fraudibus, inuidia, insidijsq; dolisq; celebres,
Ad magnos parui, blanditoresq; potentum,
Ad paruos magni, subiectorumq; leones,
Et Polypi motum referentes tempore moto,
Audaces pueri, iuuenili ardore calentes, &c.

Et:

Sedibus in ſacris varium certamen habentes,
Fluctibus impulſi multis contraria fingunt,
Indomiti pugnatores, hinc inde vagantur,
Irenen clamant, ſed quærunt ſanguine Erinnyn.

Et rurſum:

Aut grauis inuidia eſt, aut eſt poſſeſſio certa,
Aut tetra ambitio, quæ ventres incitat iſtos.
Gloria prætextus Chriſti eſt, ſed mens male ſana
Aut odijs turgens eſt tanti cauſſa furoris.
Duplex quisq; lupum tegit, et vult dicier agnus.

Tales igitur cum noſtro quoq; ærumnoſo ſæculo non tantum apud aduerſarios, ſed & in ipſo Rebeccæ vtero, ſiue in ipſa Eccleſia & in vicinia paſſim exurgant, δεινοὶ ἐχθροὶ, οἰκειακοὶ, νόθοι ὄντες, καὶ σύμμικτοι, *vt Epiphanij verbis vtar, rem agi iam noſtram, & in diſcrimine poni ſtatuamus, & in ardenti inuocatione filij Dei* τῶ καρδιογνώστου *& Iudicis omnium, videat vnuquisq; vt vel deploratis ſæculi noſtri, in quod Deus nos reſeruauit, moribus, vel ſepoſitis et contemtis, ſi tanto eſt animo, furoribus hominum ambitioſorum, et cœlum terræ, ignem q; aquæ miſcere conantium, cũ Nazianzeno ex animo dicere poſſit:*
Ζητῶ Νῶε κίβωτον, ὅπως μόρου αἰνὸν ἀλύξω.
Quæro Noë ratem, in qua mortis flumina vitem.
Hoc autem facile nemo præſtare poterit, niſi animum probe inſtructum, obſirmatum et munitum habue-

habuerit vera θεωρία καὶ αἴσθησιν τῶν θείων ῥημάτων. vt Epiphanius loquitur, id est, didicerit fundamenta & capita doctrinæ Christianæ rectè perspicue & ordine traditæ, & in vera conuersione senserit timorem & consolationem, iuxta dictum: Qui non est tentatus qualia scit? Vt igitur labyrinthos quæstionum & disputationum euitare possimus, & in docendo & discendo grata Deo, & salutaria nobis & alijs cogitemus, dicamus & faciamus, assuefaciamus nos ad veræ doctrinæ corpus, cuius delineatio καὶ ὑποτύπωσις in veteribus symbolis, & in Catechismis harum Ecclesiarum & scholarum (de alijs enim præsertim longioribus summis, quales olim Methodius et postea Damascenus & alij scripserunt, iam non loquor) habetur. Ad hunc vsum scimus scriptum esse inuictum librum Locorum Theologicorum, à D. Philippo, præceptore nostro venerando, piæ sanctæq; memoriæ: cuius ductum quisquis sequitur, is se & in vita, & in vltimo agone profecisse, & animum aduersus arietes fanaticorum, hæreticorum, diaboli & mortis, probè muniuisse sentit, sicut Budæum habuisse secum ante obitum, librũ illum, & paulo ante agonem Deo pro illius facta sibi copia gratias egisse, & in lectione quoq; eiusdem pie & placide obdormiuisse, accepimus. Quæ rant alij sane alia, delectentur labyrinthis, confutatio-

futationibus confusis, & noua nouæ doctrinæ corpora fingant & pingant: Nos cũ Dauide dicamus: Integritas rectumq; tuum, me, Christe, gubernet.

Cum autem de Clementiss. sententia Illustriss. Electoris &c. locus docendi in hac Academia celeberr. mihi attributus sit, indicatis simul ordinariis lectionibus, de quibus cum Magnifico D. Rectore, atq; aliis, quorum dignitati earum curatio commissa est, paucos ante dies contuli, sumam in manus in nomine et inuocatione Filij Dei librum locorũ Theologicorum, cui de sententia D. præceptorum adiungam repetitionem doctrinæ Ethicæ, (quæ pars est Decalogi, & à professione S. literarũ separari nec potest nec debet) donec commodiori occasione oblata de aliis quoq; adiungendis, deliberari possit. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, vt iactatæ multis hactenus procellis vitæ meæ, & cursui studiorũ et laborum meorum, portum aliquem & tranquillitatem clementer monstret & donet, & faciat, vt simus vnum in ipso, & omnes operas nostras vnanimiter conferamus & dirigamus ad gloriam & laudem nominis diuini, & ædificationem veræ Ecclesiæ, in hisce præsertim mundi ebullientib. & spumantib. fecibus: seruet etiam puros fontes Israël, & Palæstinorum sordes & illuuiem confundat.

Amen. Lipsiæ. Mense Augusto 1568.

Orato

ORATIO, SEV OBIVRGATIO GREGORII NAZ. AD EPISCOPOS DE CONFVSIone Ecclesiastici ordinis.

Ὠθυσίας πέμποντες ἀναιμάκτους ἱερῆες,
ὦ ψυχῶν ταμίαι μεγακύδεες, ὦ μεγάλοιο
πλάσμα θεοῦ χείρεσσιν ἐν ὑμετέρῃσι φέροντες,
ὦ θεὸν ἀνθρώποισι μέγ' ἔξοχον εἰς ἓν ἄγοντες,
ὦ κόσμοιο θέμεθλα, βίου φάος, ἕρμα λόγοιο,
μυστοπόλοι ζωῆς ἀτελευτήτοιο φαεινῆς,
χριστοφόροι, θώκοισιν ἐνεδριόωντες ἀρίστοις,
ὑψηλοὶ, θεάτροισι γεγηθότες εὐπρεπέεσσι
σκηνοβάτῃ, κώλοισιν ἐφεσταότες ξυλίνοισιν,
ἀδρανέως χάσκοντες ἐν ἀλλοτρίοισι προσώ-
(ποις.
εὐσεβίης ὅσα δ' ἐντὸς, ὁμοίϊα πᾶσιν ἔχοντες.
ὑμεῖς μὲν παίζοιτε, τά περ καὶ παίζετ' ἀεί-
κως. (λαφρά.
καὶ σοβαρὸν φθέγγοισθε τάδ' ἔρδετε, ὡς μάλ' ἐ-
αὐτὰρ ἐγὼν, εἰ καί με κακὸν καὶ ἀνάρσιον
(ἄνδρα
πάντες ὁμοῦ θείητε, χοροῦ δ' ἄπο τῆλε δίοισθε
ὑμετέρου, βάλλοντες ἐπασσυτέροισιν ὀϊστοῖς
ἀμφαδίοις, κρυπτοῖς τε, τόπερ καὶ φίλτερον ὑμῖν.
ἀλλ' ἔμπης τά με θυμὸς ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει,
φθέγξομαι, οὐκ ἐθέλων μὲν, ἀτὰρ λόγον ἔκτοδε
(ῥήξω ψυχῆς·

ψυχῆς· ὡς ὅτε κῦμα βιώμενον ἔκλυδι λάβρῳ
πνοιῇ μαλ' ἀγ σήραγγας ὑποτρέχον, ὄχ' ἐπίσσῃ
καγχλάζει, καὶ πως μιν διεκπίπτει δαπέδοιο
ῥηγνυμένης ὠδῖνα· αὐτὰρ σῶμα τοῖα πέπονθα,
ἀ δὲ μοι ἀμφαδέειν ἐνὸς χόλον· ἀλλὰ δέχεσθε
εἴ τινα καὶ δακέθυμον ἐρῶ λόγον, ὑμὲν ἀνίης
φάρμακον ἄλγεός ἐστι, καὶ ἠέρι μῦθον ἐνιπεῖν.
σῶμα μεγαλησίοιο, τὸ τίμιον εὐχετ' ἄνακτος,
λαὸς ὅλης γαίης βασιλῆϊ, ἔθνεϊ πίσυρον
λιῶ ὅτε λιῶ. νιῶ αὖτε θεὸς κλέαρ ἔνθα καὶ ἔνθα
σείει, οἷά τε κῦμα πλυσμαράγοιο θαλάσσης,
ἠὲ φυλὸν ζαμένεσι λιναιόμενον ἀνέμοισι.
λαὸς ὅδ', ὡ θεὸς ἦλθεν ἀπ' οὐρανίοιο θοώκου,
κῦδος, ἐὸν θνητοῖσιν ἐνὶ στηθεσσι κενώσας,
καὶ μίχθη μερόπεσσι, θεὸς βροτὸς εἰς ἐν ἀγερθείς,
καὶ μέγαν ὦνον ἔδωκε παθὼν δίμας, αἷμά τε θεῖον
ῥύσιον ἡμετέρης κακίης χέεν· ἀλλά τε πολλὰ
θύματα, τὰς μετόπισθα λόγον πείραντας ἅπαντας,
καὶ γλυκερῷ θανάτοιο πικρῆς χερὸς αἰνιάσαν-
τα ὤσκε λόγῳ λύσασθαι λόγον θεὸν, αἷμα δ' αἷμα.
τίς δονέει τόδε σῶμα; πόθεν τόσον ἀχθος ἔμοιγε;
πῶς μιν ἡ σκοτόεσσα τόσον κλέος ἀμφεκάλυψε;
πῶς δέ τε σὺς μονόβροτος ἐμὸν δηλήσατ' ἀνάγκη;

λυσσήεις, κακοεργὸς, ἐπεὶ μερόπεσσι μεγαίρων,
ἐξέτι τοῦ, ὅτε πρῶτον Ἀδὰμ βάλεν ἐκ παραδείσου,
ζωῆς τ' ἀθανάτου κλέψας δηλήμονι κάρπῳ,
καὶ πολλοῖς κρατεροῖς τε τινάγμασιν αἰὲν ἀτί-
(ζων.
οὐ σθένεν, ὡς ποθέεσκεν, ὅλον γένος οἷσι δόλοισι
γνὺξ βαλέειν. σπινθὴρ δὲ λόγου καὶ πυρσὸς ἀερ-
(θεὶς, (ῶκται,
πᾶσαν ἐπέδραμε γαῖαν ἀοίδιμος. οἱ δὲ δι-
καὶ πλέον ἐστήριξαν ἀεθλοφόροισι παγέντες.
δεύτερον εὕρατο μῆχος ἐπίκλοπον, ὡς στρα-
(τὸν ἔγνω
καρτερὸν, ἡγητῆρσιν ὁλοίϊον ἔμβαλεν ἔχθος.
καὶ γὰρ ἀγοῦ πίπτοντος, ὅλος στρατὸς ἐς χθόνα νεύει.
ποντοπόρον δέ τε νῆα κακὸς πρηνίξεν ἀήτης,
ἢ σκοπέλοισιν ἔαξε κυβερνητῆρος ἄτερθεν.
ὣς δὲ δόμους τε πόλεις τε, χοροὺς, βόας, ἅμμα-
(τα, πῶυ
βλάψεν ἀϊδρίη σημάντορος, εἰδόσι, μῦθος,
ἡμετέρειν κακίην, ὁπόσοι λαοῖο πρόεδροι.
πρόσθε μὲν ἀνδροφόνοισι φυγῆς πτολίεθρα
(τέτακτο,
καὶ χῶρός τις ἔην ἀποπομπαίοις θυέεσσι,
καὶ τις καὶ πικρίης καὶ αἵματος, ὑστατίοισιν
ἤμασιν ὃν χριστοῖο κακόφρονες ἐξεκένωσαν,
μισθὸν ἀτιμήτοιο κακὸν καὶ τυτθὸν ἔχοντες.
οὔτι μὲν ἐξ ἀέκοντος. ἰπεὶ θεός ἐστιν ἄληπτος.
χείρε-

χείρεσιν, εὖτ' ἐθέλησιν. ἀτάρ γε μὲν ἐξεκένω-
σαν (μόρου τε
νῦν δ' ἕνα χῶρον ἴσασιν ἀτασθαλίης τε,
πάντες, ὅσοι ξεῖνοί τε, καὶ ἕρκεος ἡμετέροιο.
Τὸ σεπτὸν τοπάροιθε σοφῶν ἕδος, ἕρκος ἀρίστων,
βῆμα τόδ' ἀγγελικῇσι χοροστασίῃσι τεθηλὸς,
κιγκλίδα τὴν μεσάτην κόσμων δύο, τοῦ τε μέ-
(νοντος,
τοῦ τε παριπταμένοιο θεῶν ὅρον, ἡμερίων τε,
ἦν ὅτε ἦν· νῦν αὖτε γελοίιον, ἡνίκα πᾶσιν
ἐντὸς ἀκληΐστοιο θύρης δρόμος. ὡς δοκέω μοι
κήρυκος βοόωντος ἐνὶ μεσάτοισιν ἀκούειν.
δεῦρ' ἴθ' ὅσοι κακίης ἐπιβήτορες, αἴσχεα
(φωτῶν,
γάστορες εὐρυτένοντες, ἀναιδέες, ὀφρυόεντες,
ζωροπόται, πλαγκταὶ, φιλοκέρτομοι, ἀβροχί-
(τωνες,
ψεύσταί θ', ὑβρισταί τε θοῶς ἐπίορκον ὁμοῦντες,
δημοβόροι, κτεάτεσσιν ἐπ' ἀλλοτρίοισιν ἀάπτους
βάλλοντες παλάμας, φθονεροὶ, δολόεντες,
(ἄπιστοι,
θῶπες ἐρισθενέων χθαμαλοὶ, χθαμαλοῖσι λέ-
(οντες,
ἀμφίθετοι, καιροῖο πολυτρέπτου θεράποντες,
polypi πουλύποδες πέτρησιν ἐειδόμενοι χρόα μύθῳ,
ἀρτίγαμοι, ζείοντες, ἔτι χνοάοντες ἴουλον,
ἢ κλέπται φυσικοῖο πυρὸς, φαέεσσιν ἔχοντες
ἠερίνην

ἠερίνην φιλότητα. ὅτ' ἀμφαδίην ἀλέησθε,
νηῖδες οὐρανίων, νεολαμπέες, αἰθαλόεντες
πνεύματι αἰγλήεντι, συνερχομένης κακότη-
(τος.
Δεῦρ' ἴτε, δεξιτερῇσι νέους κλίνοιτε τένον-
(τας,
(πᾶσι προφρονέως καὶ μὴ ποθέουσι τέτανται)
μάννα πάλιν, ξένος ὀμβρὸς· ἅπας κόλποι-
(σι λέγοιτε,
ὃς πλέον, ὅς τ' ἐπιδευὲς· ἐμὴν χάριν, εἰ δ' ἐθέ-
(λοιτε,
μήδ' ἁγίου φείδοισθε θεούδεος ἤματος ἀρ-
(γοῦ,
ἢ τάχα καὶ παλάμῃσιν ἐν ἀπλήστοισι πύθοιτο.
ξυνὸς μὲν πάντεσσιν ἀὴρ, ξυνὴ δέ τε γαῖα,
ξυνὸς δ' οὐρανὸς εὐρὺς, ἅτ' οὐρανὸς ὄμμασι
(φαίνει.
ξυνὴ δ' αὖ πόντοιο χάρις, ξυνοί τε θόωκοι.
θαῦμα μέγ'· οὐ δὲ σαοὺλ χάριτος ξένος,
(ἀλλ' ὑποφήτης.
μὴ τέ τις οὖν ἀροτὴρ, μὴ τέκτων, μὴ σκυτοερ-
(γὸς,
μὴ θήρην μεθέπων, μήτ' ἔμπυρον ἔργον ἐλαύ-
(νων
τῆλε μένοι, μή δ' ἄλλον ἔχοι σημάντορα θεῖον.
κρεῖσσον γὰρ κρατέειν, ἠὲ κρατέοντι πιθέσθαι.

ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ χειρῶν πέλεκυν μέγαν, ὅς δ'
(ἄρ' ἐχέτλην
ῥίψας, ὅς δὲ δορὴν, ὃς δούρεα, ὃς δὲ πυραγρὴν,
ἔνθα δ' ἴοι, θείην δὲ περιθλίβοισθε τράπε-
(ζαν,
στεινόμενοι, στεινοῦντες. ὁ δ' ἄλκιμος ἄλλον ἐ-
(λαύνοι,
πολλάκι καὶ τὸν ἄριστον ἐνιδρώσαντα θρόνοισι
γηραιὸν, σάρκεσσι τετρυμένον, οὐρανοφοί-
(την,
κόσμον ἀτιμάζοντα, Θεοῦ μέτα μοῖραν ἔ-
(χοντα,
καὶ νέκυν ἐν ζωοῖσι, θυηπόλον ἐσθλὸν ἄνακ-
(τος,
εἰκὼ μέν τις ἔγραψεν ἀπ' εἰκόνος ἀρχε-
(τύποιο
στησάμενος προπάροιθε, πίναξ δ' ὑπεδέ-
(ξατο μορφήν.
ὑμᾶς δ' εἰσορόων τις, ἐναντίον οἶμον ὁδεύοι,
καὶ τόδε μουνὸν ὄνειαρ ἀφ' ὑμετέρης κακότη-
(τος.
κήρυξ μὲν δὴ τοῖα βριήπυος, αὐτὰρ ἔγω-
(γε
δείδια μὲν μωσῆος ἀγακλέος, οἷον ἄκουσα,
ὃς μουνῶς νεφέλης εἴσω Θεὸν ἔδρακεν αἴ-
(την.

τοὺς

τοὺς δ' ἄλλους ἐκέλευσεν ὑπὸ προπόδεσσι μέ-
(νοντας,
ἁγνοτάτους ἁγνοῖσιν ἐν εἵμασι καὶ τρομέοντας
μουνῆς εἰσαΐειν θείης ὀπὸς· οὐ γὰρ ἄμεινον,
οὐδ' αὐτοῖς θήρεσσι πατεῖν πέδον οὐρανίοιο,
μὴ καὶ ῥηγνυμένοισιν ὑπὸ σκοπελοῖσι δα-
(μεῖεν.
Δείδια δ' αὖ παίδων Ααρὼν μόρον, οἵ ῥα
(θυηλὰς
θεῖντες ἐπὶ ξείνοιο πυρὸς ξείνως καὶ ὄλοντο.
αὐτίκα καὶ θυέων χῶρος θανάτοιο τελέσθη·
καὶ παῖδές περ ἐόντ' Ααρὼν μεγάλοιο, δα-
(μασθέν.
ὣς δὲ καὶ ἠλείδῃσιν ἐπέχραε λυγρὸς ὄλε-
(θρος
ἠλείδαις, ὅτι μάργον ἔχον νόον. ἦ γὰρ ἔβαλλον
οὐχ ἱερὰς παλάμας ἱερῶν καθύπερθε λεβήτων,
οὐδὲ μὲν οὐδ' ἠλεῖ χόλον ἔκφυγεν· ἀλλὰ καὶ αὐ-
(τὸν
οὐχ ὁσίη γαστὴρ παίδων ἐχάλεψε δίκαιον,
καί περ ἀεὶ βρίσαντα ὀνειδείοις ἐπέεσσιν.
εἰ δὲ τόση τοιοῖσιν ἁμαρτάσι μηνῖς ἐπέστη,
ὁσσατίης δέος ἐστὶν ἐπὶ πλεόνεσσι κακοῖσι;
καί σε κιβωτὸν ἄνασσαν ὃς ἥδρασε χειρὶ
(βεβήλῳ.
κλινομένην, θάνεν αἶψα. Θεοῦ δέ τε νηὸν ἔθηκε.

ἄψαυστον παλάμῃσι, ἐρείσματα τἄκτοθι
(τοίχων.
τούνεκεν αἰάζω, πίπτω δ' ὑπὸ σεῖο πό-
(δεσσι
χριστὲ ἄναξ, μὴ μοί τις ἀπαντήσειεν ἀνίη
χαζομένῳ. κέκμηκα, λύκοις δηλημόσι ποί-
(μνης.
ποιμέσι μαρνάμενος δηρὸν χρόνον. ἐκ μελέ-
(ων δὲ
ῥικνῶν ἔπτατο θυμὸς, ἀναπνείω δ' ὀλίγον τι
τειρόμενος καμάτοισι, καὶ αἴσχεσιν ἡμετέροι-
(σιν.
ὧν οἱ μὲν θώκων ἱερῶν πέρι δῆριν ἔχοντες,
ἀντία κυμαίνοντες ἐπασσυτέροισι κακοῖσι,
βαλλόμενοι, βάλλοντες, ἀτειρέες εἰσὶ μαχη-
(ταί
εἰρήνην βοόωντες, ἐφ' αἵματι κυδιόωντες.
ὡς ὄφελον γετθαίαν ἀναπλήσαιεν ἀνίην
ἔνδικον, ἑδρήεσσαν, ἐφ' ἕδρῃ τίσιν ἔχοντες.
οἱ δ' ἄρα τοῖς ἑκάτερθε μεριζόμενοι, κλο-
(νέουσιν
ἀντολίην τε δύσιν τε, θεὸς δ' ἐς σάρκας ἔληξεν.
ὧν ἄπο μαρναμένων, καὶ οὔνομα καὶ μόθος ἄλ-
(λοις.
παῦλος ἐμὸς, πέτρος δὲ τεὸς, κείνου δέ τ' ἀ-
(πολλώς
εἰσὶ

εἰσὶ θεοὶ. χριστὸς δὲ μάτην ἥλοισι πέπαρται.
οὐ γὰρ ἀπὸ χριστοῖο καλεύμεθα, ἐκ μερόπων δὲ.
κείνου καὶ χείρεσσι καὶ αἵματι κῦδος ἔχοντες.
τόσσος ἔρως φαέεσσιν ἐπήχλυσεν ἡμετέ-
(ροισιν
ἡδόξης κενεῆς, ἢ κτήσιος, ἢ φθόνος αἰνὸς,
τηκεδανὸς, κακόχαρτος, ἐναίσιμον ἄλγος
(ἔχουσι.
καὶ πρόφασις τριάς ἐστι, τόδ' ἀτρεκὲς, ἔχ-
(θος ἄπιστον.
διπλόος ἐστὶν ἕκαστος, ὄϊς λύκον ἀμφικα-
(λύπτων,
καὶ χαλκὸς λοχόων πικρὴν νεπόδεσσιν ἐδωδὴν.
τοῖα μὲν ἡγητῆρες, ὁδ' ἕσπεται ἐγγύθι λαὸς,
πρόφρονες ἐς κακίην καὶ ἡγητῆρος ἄνευθεν.
οὐδέ τις ἐστ' ἀγαθοῖο διάκρισις, οὐδὲ κακοῖο·
οὐ πινυτῆς πολιῆς, οὐκ ἀφραδέος νεότητος.
οὐ μογεροῦ βιότοιο, θεουδέος οὐ μαλακοῖο.
εἷς νόμος ἐστὶ, κάκιστον ἔχειν πλέον. ὡς δ' ἀ-
(πόλοιτο
κεῖνος ἀνὴρ, ὃς πρῶτος ἀνήγαγεν ἐνθάδ' ἀ-
(λιτρούς.
αὐτῶν κόσμος ἔοι, αὐτῶν θεὸς. ὅσσα τ' ἀρί-
(στοις
ἕσπεται ὑστατίοισιν ἐν ἤμασι ἀντιτάλαντα·
οἱ δ' ἀγαθοὶ μογέοιεν ἐτώσια. τοῖα δικασταὶ

ἔλαδεν ἡμετέροισι, δίκη φυγὰς ἔνθεν ἀπέλθοι.
ἐν δ' ἄρα πάντα πέλοι χρηστὸς, βροτὸς, ἥλιος,
(ἀστήρ,
φῶς, σκότος, ἄγγελος ἐσθλὸς, ἑωσφόρος
(οὐκέτι λάμπων,
πέτρῳ δ' ἶσα φέροιτο θεοκτόνος ἰσκαριώτης.
καὶ σολύμοις ἱεροῖσιν ἀλιτροτάτη σαμάρεια.
ἶσα δ' ἔχοι χρυσός τε καὶ ἄργυρος ἠδὲ σίδηρος,
μάργαρος, ὀκρυόεντι λίθῳ, πηγαῖς δὲ χαρά-
(δραι
πάντα δ' ἅμ' ἀλλήλοισι πεφυρμένα εἰς ἓν ἄ-
(γοιτο,
ὥς ποτ' ἔην, ὅτε κόσμος ἔην πρωτόκτιτος ὕλη,
κόσμον ἔτ' ὠδίνουσα διακριδὸν οὐ βεβαῶτα.
ἦν δ' ὅτε μωαβίταις νηὸς μέγας οὐ βατὸς ἦεν,
οὐδὲ μὲν ἀμμανίτῃσιν, ἐπεὶ στρατὸν ἤκαχον ἠΰν.
ἄλλους δ' ὑδροφόροισιν, ἐνηρίθμησεν ἰησοῦς,
καὶ ξυλοφορτηγοῖσιν, ἐπεὶ ῥά μιν ἐξαπάφησαν.
ταῦτα κακοῖς. Λευὶ δὲ γόνον μεγάλοιο γέρη-
(ραν·
σκηνῆς γάρ μιν ἔθηκαν ἐπουρανίης θεράποντα.
κἀνθάδ' ὅροι θυέων τε, καὶ οὔδεος, ἠδὲ πόνοιο·
ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ χέρας εἶχον ἐπ' ἔρ-
ὄσσατ' ἔην νηοῖο καὶ ἔκτοθεν ἐγκονέοντες. (γοις.
κεῖνοι μὲν τίοισι νόμοις ἀρετῆς προμάχιζον.
ἡμεῖς δ' αὖ κακίῃ γέρα θήκαμεν, ὦ θανά-
τοιο· τίς

τίς τάδε θρηνήσειε γοὼν πολύϊδρις ἀοιδός;
σχέσθε φίλοι. λήξωμεν ἀτασθαλίῃ μογέοντες·
ὀψέποτ' εὐαγέεσσι θεὸς τοίητο θυηλαῖς. (πτοι
εἰ μὲν δὴ πεπίθοιμεν, ὀνησόμεθ'. εἰ δ' καλύ-
μῦθον ἐμὸν, πολιήν τε, νέων θράσος, ἠὲ κολοιῶν
οὖλον ἐπικρώζοντες ἐμοὶ νέφος ἀφραδίῃσι.
μαρτύρομ' ἀθανάτοιο θεοῦ χέρα, καὶ τὸ κελαινὸν
ἦμαρ, ὁ τὴν κούφην πυρὶ βόσκετ' ὕστατον ὕλην.
οὐ μὲν ἐγὼ κείνοισιν ὁμόθρονος, οὐχ ὁμόεργος,
οὐδέτι συμφράδμων, οὐ σύμπλοος, οὐ συνοδί-
(της.
ἀλλ' οἱ μὲν περόωεν ἑὴν ὁδὸν· αὐτὰρ ἔγωγε
ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξῳ.
αὐτὰρ ἔπειτα φύγοιμι κακῶν ἄποτηλόθι μίμ-
νων. (βρον,
καὶ σοδόμων πυρόεντα πικρὸν καὶ ἀθέσφατον ὄμ-
ων ὅδε δεσμὸς ἔχει πλάγκτην νόον ἔνδον ἀγεί-
εἴσω πᾶς ὁρόων γελόων βιότοιο θυέλλας (ρας,
αἵρατε καὶ πινυτῶν αἰσχρῶς κονίουσι πρόσωπα,
αἰεὶ δὲ πραπίδεσσι νοήματα θεῖα χαράσσων
χείροσιν οὐκ ἐπίμικτα, διαυγέα, φωτὶ πελάζων
τρισσοφαοῦς θεότητος ἐπειγομένοισι πόθοισιν
ἵλαον ἀθανάτοιο θεοῦ πρὸς θῶκον ἱκοίμην.
ἔνθά τε πάντ' ἀναφανδὰ· τὸ δὲ πλέον ἰσοτά-
(λαντον
τῆμος, ὅτ' ἐν χείρεσσι Θεοῦ ζυγὸν ὀρθοδίκοιο.

NOTATIO AD CARMEN NAZIANZENI.

SCripsit hoc carmen Nazianzenus post suum ab vrbe Constantinopolitana discessum, cum inuidiæ et furoribus inquietorum & improborum cedens, deinceps in patria Nazanzi, ruri quietam & solitariam vitam priuatus exigeret. Inuehitur autem graui & vehementi obiurgatione in Episcopos, & pastores, propter confusionem ecclesiastici ordinis. Primum splendidos theologastrorum istorum titulos & nomina ponit, ijsq; eorundem abusum, perstringendo hypocrisin, temeritatem & audaciam illorum, subiungit. Deinde beneficia Dei prædicat, in primis missionem Filij in carnem, collectionem & conseruationem Ecclesiæ inter tot & tantas concussiones, quibus vndiq; grex Christi impetitur, & inter quas primatum obtinent tyrannis & hæresis, ex qua dissidia inter doctores oriuntur, & ministerium ita deformatur, vt pastores populi iam vulgo fabulæ fiant, præsertim, cum dissidia ista fiant domestica, immixtis orthodoxorum cœtui spurijs siue nothis, vt Epiphanius loquitur, & hostibus grauibus & furiosis. Postea excurrit in mentionem euersionis delubrorum, & eiectionis hæreticorum ex Et-

ex Eccleſijs Imperij, quam à Theodoſio Imp. inſtitutã & mandatam fuiſſe legimus, & hîc à Gregorio improbari audimus ob ordinis confuſionem introductam in Eccleſiam Catholicam. Huic digreſſioni & allegoricæ de hæreſibus per ſortem auram, & ſacrificijs Paganorum cauendis, denotationi, factæq; mentioni templi Sophiæ Conſtantinopolitani a Conſtantino Magno in honorem Chriſti, qui eſt æterna & vera Sophia ſiue ſapientia, extructi, ſubijcitur claſſicum & proclamatio ad licentiam & confuſionem Eccleſiaſticam, & euocatio improbiſſimorum, impudentiſſimorum, & indoctiſſimorum quorunq; ad ſacrum miniſterium, qui vociferari, clamitare, calumniari, optime dicta & facta peruertere, alijs rudioribus cœlum terram eſſe, albumq; nigrum perſuadere, ſe & ſua mangoniſſare, maledicere, mentiri, potentioribus aſſentari, polypos referre, ſuperbire, confidenter loqui, & quæ nunquam habent aut norunt, iactitare, inſanire, viros bonos & bene meritos, viuos & mortuos exagitare, ſe alijs immiſcere, ἀλλοτριοεπισκοπεῖν, auram popularem ſaluti publicæ præferre, eamq; ſolam affectare, hypocriſin alere, maliciam tegere, Zelum prætendere, fictos gemitus ſpirare, & tamen, omnia ſi colligantur, om-

nia turbare audent, demta pietate, fide, & ratione piæ & salutaris concordiæ, quam etiam iam dudum suspectam habere, & vnà cum vera eruditione & modestia è finibus suis exterminare ceperunt. Quæ autem & quales tandem pœnæ irrogẽtur istiusmodi illegitimis & nothis, Gregorius exemplis aliquot ostendit. Inserit autem vir sanctissimus precatiunculam ad Filium Dei, ratione teneræ conscientiæ & solicitudinis magnæ scriptam, in qua veniam supplex à Christo petit sibi dari, quòd propter homines improbos & inquietos Constantinopoli, scposita animarum periculoso tempore ratione, discesserit. Etsi enim pij iustè & rectè quid faciunt, tamen horum conscientia sæpe tam est tenera, vt semper vereatur, ne nimium faciat. Et hoc animo & consilio scripti nuper sunt versiculi:

Scis, pie Christe, meã, quia tu scis omnia, mentẽ,
Scis quo discedam pectore, Gnate Dei. (est,
Si male quid facio, mens quanquam conscia recti
Effugiens laqueos, Christe benigne tegas.
Quòd cedo, ne me crux incurabilis ægrum
Inuadat, solita tu bonitate vetes.
Duro etenim sum iamdudum defessus agone,
Semper displicuit lingua proterua mihi.

Alia

Alta ſapit vulgus, vult quilibet eſſe Lutherus,
Et confuſores nomina pacis habent.
Et ſpina dumiq3 truces ſe flore Roſarum
Ornantes, turbant plæraq3, cuncta mouent.
Ædituiq3 volunt iam paſtorum eſſe magiſtri,
Atq3 ouibus dira voce præeſſe Lupi.
Hi quia non vnquam verè tua gloria curæ eſt,
Brachij et humani vi ſuperare volunt,
Fundibus certant ſcriptis & felle refertis,
Et damnant, alios inſidijsq3 petunt,
Quid faciam? me Chriſte tibi committo regendũ,
Et dico, ſeruum ducq3 doceq3 tuum.
Si placet vt maneam, liceatq3 hoc munere fungi,
Fac ſtudijs noſtris mens ſit vt æqua Ducis.
Sin aliud placeat, fiat tua iuſta voluntas,
Te duce tutus eo, te duce ſaluus ero.

His abſolutis Gregorius redit ad obiurgationem improborum doctorum, de primatu contendentium, ſchiſmata & hæreſes introducentium, auaritia, ambitione & inuidia turgentium, hypocritarum, & miſeram plebeculam in ſuam raſaniam rapientium, & incredibili & horrenda temeritate omnes res in Eccleſia confundentium, pietatem, eruditionem, & modeſtiam omnem ſublato caniciei & reuerentiæ reſpectu violantium.

Vltimo

Vltimo addit Nazianzenus exhortationem ad pœnitentiam, & consulit, vt quisq; ab impiorum consortio secedens, in arca Noæ portum quærat, & ita se gerat, vt ad tribunal Filij Dei adductus rationem fidei, vitæ, & vocationis reddere possit, quod vt à nobis præstetur, ipse Filius Dei Spiritu suo sancto clementer nobis largiatur.

Amen.

Lipsiæ 28. Augusti.
1568.

In fine præfationis pro ὑποκρινόμενοι, lege ὑποκρινομένων.

B. 6. φιλοσοφῶμεν.

C. b. apoplexia, & epilepsia.